R. P.

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E SOCIETATE IESV, ORATIONES:

Item

EPIGRAMMATA ET ELEGIAE:

In gratiam studiosæ iuuentutis, nunc primum in Germania editæ.

Cum consensu superiorum.

COLONIAE,
Apud Conradum Butgen[illegible]ii.
Sub signo Arboris.
Anno M.DCVII.

NOBILI ET INGENVAE TRIVM GYMNASIORVM ACADEMIAE Coloniensis iuuentuti,

S. D.

M*VLTA sunt præclara, stud. Iuuent. quibus in verticem scientiarum niter is laudabili gradu: at ipsa quod Eloquentia iter illud præclarius sternat omnino est nihil, adeo ex vsu quà Christianæ, qua Politicæ est Reip. illa quæ à bono Poeta dicta est flexanima, atque omnium regina rerum oratio. Quid enim sine hac Theologi, Philosophi, Iurisperiti, Medici? Balborum genus. Quamobrem hunc F. Remon[illegible] prelo commisi, virum laudatissimum.*

Oratorem ſane qui cum ſobria dicendi frugalitate palæſtricemagis ſpaciari in Xyſto amet, quā ab Olympiis coronam petere. Quem ſi magis in ſacrario pecto ris, quā in Bibliotheca tua deponas, illud recipio, Te cū egregiis eloquētiæ incrementis fructuoſa quandoq; in rem Chriſtianam allaturum, quæ Sigonius, Muretus, Perpinianus, Bencius, & hic noſter, ingentia profecto nomina oratorum attulere: illamq; ſtigmaticam Iſocratis diſcipulorum euaſurum notam, qua ob teſtudineum in eloquentia progreſſum iam effœti & ſenes dicebantur apud inferos cauſas acturi, Vale, laboremq; noſtrum amplectere.

TYPO-

TYPOGRAPHVS amico Lectori.

QVando voluntas contraria eſt debito, debiti habenda eſt ratio nõ voluntatis. Iamdiu Gallis & Italis debitum eſt hoc Carminum & Orationum volumen: ſed Franciſcus Remondus illius auctor, quem Gallia genuit, & nutrijt Italia, hucuſque ſemper obſtitit. Iuuenilia ſunt iſta ferè omnia, inquit, & ludicra; quæ iuuenis in tenebris, vt indigna luce, continui, hæc virili ætate in conſpectum hominum prodire patiar? Quæ ſpontè, animi cauſa nullo penè ſtudio exciderunt, hæc ſerio colligentur, &

eripientur inuito? Philoſophicus, ac Theologicus labor me ſemper exercuit; has ego diſciplinas hactenus profeſſus ſum. Quid mihi cum Muſis, quid cum Oratoria facultate? Hæc ille pro ſe. Alij contrà: Ludicra & iuuenilia nos à iuuene, non à viro exigimus. Cur obſit iuuentus ætati maturæ, matura ætas iuuentuti? Si hæc lucem non quærunt, quæruntur à luce. an digna ſint, hoc ſtare non debet ſcriptoris iudicio, ſed Lectoris arbitratu. Spontè, animi cauſa, nullo penè ſtudio exciderunt: quid tum? & nullo ſtudio, & spontè, mollita tellus effundit ad animi oblectationem, ad oculorum lenocinium, ad guſtus voluptatem. Theologiæ iamdiu profeſſorem id non decet; facere videlicet; at prius feciſſe

cur

cur pudeat? Bellumne grauiores doctrinæ cum mitioribus literis gerunt? hæ parent illis, & ancillantur; quæ causa belli? humaniores appellantur, quid noceant? An non idem Philosophus esse potest, & poeta, Theologus & orator? Si diuerso tempore, diuersæ sunt in vnum domicilium introductæ facultates, cur vno tẽpore segregentur, & excludantur? Hæc isti pro se. Quo inclinat sententia? vincant isti, & vincat ille. Ille quòd sua carmina, & Orationes typis mãdari noluit: illi quia voluerunt. Honor vtrique parti; illi, quòd modestè restitit, istis, quòd iure eius voluntati non sunt obsecuti. Mihi enim ab eius Superioribus, Societatis Patribus, qui ad hoc, tùm sua sponte, tùm plurimorum rogatu adducti sunt, hæc cura commissa

missa est, vt hoc opus, tamdiu à tàm multis expetitum publicarem. Et verò etiam magnopere gaudeo, quod hæc mihi sors obtigerit. Nam paulò antequam idem Franciscus Remondus ex Italia, vbi à pueritia in hunc vsque annum vixit, in Galliam patriam suam rediret, Superiores Societatis Iesu hæc eius Carmina & Orationes iam in Italia typis mandari præceperant: sed eius discessus non minus nobis gratus, quàm ijs vndè abijt locis acerbus, rem penè cœptam bono meo interrupit. Fruere igitur benigne Lector, hoc volumine: noli tamen expectare, vt tibi aliquid in eius commendationem significem. viui siquidem modestia, & conditio ipsa obstat auctoris. isthæc enim vir Theologus appellat sua Iuueni-

uenilia. Quæ igitur legi nollet, commendari pateretur? Quid faceret laudatus, qui vulgatus irascitur? Sed tu potius, benigne Lector, doce me, obsecro, quænam sint Carmini, & Orationi necessaria, vt maximè probentur singulis, vt auidè legantur ab omnibus. Hæc sunt, inquis, omnino necessaria: Elegantia, nitor, concinnitas, lepos, acumen, eruditio, rerum varietas, grauitas sententiarum, ac pondus, dictorum breuitas, exquisita verborum collocatio, numerus elaboratus, vt nihil redundet, vt nihil desit, vt si fieri potest, singulæ te periodi, te singuli versus mirificè afficiant, ac suspensum teneant, vt præcipuè cultus in illis exactissimus agnoscatur, vt denique procul absit omnis obscœnitas, pestis, morum

† 4 cor-

corruptela iuuentutis. Rectè mones. Tuum eſt igitur hæc Carmina, & Orationes pe:legere, & an aliquid in illis eorum, quæ probè dixiſti, deſideretur, iudicare. At ego te quoque moneo, vt in iudicio ferendo memineris id quod ſupra dictum eſt, hoc opus à iuuene, grauioribus diſciplinis intento, non ad ſtudium, ſed ad ſtudiorum leuamentum, animi ſcilicet cauſa, ſucciſiuis feriarum temporibus, penè dicam caſu, eſſe contectum. Vale.

FRAN-

F

D

Hab

Iust
ptu
ne
nec
de

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E SOCIETATE IESV, Orationes.

ORATIO PRIMA.

Habita in funere Matthæi Contarelli Cardinalis, Romæ in templo Sancti Ludouici, anno 1586.

VELLEM Deus immortalis fecisset (Cardinales Amplissimi) vt Matthæum Contarellum, vestri Senatus lumē clarissimum, præsentem potius in hoc ornamentis ab illo pulcherrimis illustrato templo cerneremus, quam nobis ereptum hac funebri pompa, & lugubri celebratione laudaremus. Etsi enim tamdiu ille vixit, donec matura mors, quæ hanc abstulisset, vitā redderet immortalem, & non tàm in has, ab ipso

 pæne

pæne conditas ædes, quàm in illud magnificentissimum beatorum animorum templum elatus videatur; immaturus tamen, vt Solis luce fruentibus Solis occasus, sic illius nobis, aut discessus accidit, aut illi felicitas, non sine aliquo omnium incommodo, à Deo immortali pro incorrupta vitæ integritate donata. Quo fit vt cum de tam præclara eius sorte, ac vitæ commutatione lætandi maxima causa sit, nulla mœrendi, facere tamen non possim, quin cum hoc, qui me circumstat, nobilissimo consessu, videar cum aliquo mœrore lætari. Quanquàm meus hic à vocibus, qui æquè doletis, iustus vt opinor, videbitur dolor, nam & si de se minime dolendum esse censetis, qui nihil quodammodo in vita gessit, quod alijs doloris causam afferret; tamen hæc ipsa rerum præclare gestarum, & tàm gratæ vniuersis hominum Ordinibus, ac fructuosæ vitæ memoria, tantùm nobis, qui ea priuamur, doloris afferre debet, quantùm illi, qui ita vixerit, voluptatis. Sed quoniã se lacrymis, vt dixi, ac publico luctu honorari vetat is, cuius perspecta dignitas, ac virtutis magnitudo solidas sibi laudes, & gloriam postulat; efficiam profectò, vt si quam oratio mea mœroris, ac tristitiæ significationem dederit, hanc vnam, quòd ille laudari pro dignitate non potuerit, dedisse videatur. Verum enimuerò totius eius me patriæ squalor, ac mœror exanimat, atque ita quasi orbatæ vocem Galliæ agnosco,

ſco, vt illa nihil acerbius ferat, quàm quod id ſibi ſublatum videat, quo nihil penè fuerat ſalutarius hoc tempore datum. Et ſi enim è clariſſimæ atque antiquiſſimæ Cenomannorum ciuitatis complexu, ſeſe ille è primis tēporibus ætatis, in hanc vrbē pulcherrimum, ac ſanctiſſimū orbis terræ domicilium contuliſſet, ita tamen eius æquitatis, ac ſapientiæ cæterarumq; virtutum per omnes ſeſe prouincias ſplendor effuderat, vt eū Cenomanni atq; omnis Gallia, quem abſentem videret, intueri præſentem videretur. Nunc autē præſtantiſſimi viri morte, tantū illa vulnus accepit, vt non niſi is, qui inflixerit, facere vulneri medicinam poſſit. Sperat enim fore Gallia, vt qui maximo dum viueret, toti regno ornamento fuit, eidem quoque ſit immortalem poſt motem gloriam allaturus. Quanquàm Romana Ciuitas non minorem feciſſe iacturam videtur; quam ita colebat, vt pro eius exiſtimatione, nullam ſibi nocturnæ, aut diurnæ partem quietis impertiret, à qua ita colebatur, vt cum ad omnes honorum gradus euectus ſit, non minus illa in tam forti, ac ſapiente viro cohoneſtando diligens fuerit, quam ille in eius dignitate tuenda laborioſus. quæ profectò hoc vno ſe recreat, ac reficit in mœrore, ſolatio, quōd nullū vnquam laudis atque ornamentorum genus ab illo abfuiſſe paſſa ſit, à cuius capite nulli vnquam labores, curæ, ſolicitudines pro communi ſalute abfuiſſent, Cum enim ſpectata illum

multis cum priuatis, tũ publicis muneribus prudentia, ac religio quatuor summorum Pontificum iudicio, per omnes propemodum honorum gradus extulerit, nullis profectò dignus prȩmijs, ac laudibus fuit, quæ non vltrò ad illum honorandum, atque ornandum quodammodo conspirarent. Quibus tamen cùm se semper dignum haberi mallet, quam ornatum videri, fiebat, vt tum in Pontificijs legationibus, tum in Romanæ Curiæ muneribus assequendis, cæteris anteponeretur, qui eosdem in promerendis haud paruo interuallo superasset. Quid enim illud Pauli Quarti, Pontificis Max. de viro non minus doctrina, quam vitæ integritate claro iudicium, cum multis posthabitis non vulgaribus hominum id munus optantium Ordinibus, Breuibus ita præfectus est, vt tùm ob summam iuris Canonici, ac Pontificij cognitionem, tùm singularem apud omnes collectam gratiam, ac beneuolentiam, reliquum esse videretur, vt Pij Quarti sapientissimi Pontificis prouidentia in altiorem delatæ sedem dignitatis ascenderet? Itaque Referendarius ab illo factus, in eo omne studium operamque collocabat, nullus vt ei non modo dies, sed ne tempus quidem vllum aut à negotijs publicis vacuum esset, aut à priuatorum vtilitate seiunctum. Cuius eximiam in iure, ac legibus interpretandis æquitatem ac iustitiam admirati multi, cum non minus iustitiæ, quam iuris cultor haberetur, nunquàm suis rebus, aut

con-

controuersijs satis esse factum putassent, nisi eius consilio, ac propè incredibili prudentia vsi, omnem repentè disceptationem sustulissent. Tantum igitur breui tempore in hac orbis terrę sede gradum tenuit, & dignitatis, & gratiæ, vt Principibus etiam viris ac nobilitate primis eius in rerum administratione opera optata esset, vita iucunda. Quid enim illa Hippolyti Estensis Cardinalis amplissimi, huius clarissimi Cardinalis patrui in Galliam legatio? nonne ab eodem Pontif. Pio Quarto, optanti, ac poscenti Legato, ita comes adiunctus est, vt non modò itineris, sed omnium laborum, ac solicitudinum diligentissimi se Legati socium non indiligentem præberet? Atqui ita ex hac vrbe proficiscebantur, vt vrbs geminũ illud lumen suis ab oculis paulisper sublatum, non sibi in perpetuum ereptum putaret: cum eorũ iterũ mox lucis accessum expectaret, quorum in prouinciã recessum, ob futuri spem fructus atque vbertatis pateretur. Ita demùm prouinciam obibant, vt Gallia hanc illis vnam ac perpetuam legationem cuperet: ita è prouincia decedebant, vt tantum illorum decessione affligeretur Gallia, quantum Roma reuersione triumpharet. Atque hæc quidem prima legatio, tanto consilio, ac sedulitate peracta, secundam illi Pij V. sanctissimi Pastoris Pontificatu detulit: à quo item cum Michaele Bonello Cardinali Alexandrino, grauissimo, ac prudentissimo, in Hispa-

niam primò, ac Lusitaniam, tùm demùm in Galliam missus, ita se in eo munere gessit, vt Galli, & Hispani homines in Legato, Alexandri animi magnitudinem, Legati comite, vigilantiã Parmenionis agnoscent. Quibus in rebus, etsi ob varios labores, itinerumque longitudinem, non paruo afficiebatur incommodo, tamen conabatur summorum Pontificum voluntatem, & Legatorum auctoritatem suis semper commodis anteferre. Neque verò infinitus rerum publicarum priuatarumque labor, aut insignes honorum cursus, ætatis flexu, ac vitæ decursu constiterunt. quin potius eò vsque progressi sunt, vt quanta labentium vitæ annorum decessio fieret, tanta, ex altera parte, honorum ac munerum fieret accessio. Vtinam enim prope diuinam Gregorii XIII. Pontificis Maximi, cuius memoria adhuc in hominum animis viuit, semperq; viuet, in Datarii munere huic dando prouidentiam, huius in suscipiendo, integritatem, ac diligentiam explicare oratione possem! quod etsi grauissimum esset onus ac difficultatis curarumque plenissimum, maluit tamen in tanta rerum assiduitate, ac vigiliis, aduersa præsertim valetudine, penè dicam mori, quam minus, quàm potuisset, videri Christianæ Reipublicæ profuisse. Itaque reliquum vitæ tempus, non ad obliuionem rerum ab se gestarum, sed ad comparationem maioris fructus ita contulit, vt ille ipse cui se similem in laboribus subeundis reddere conabatur,

nabatur, Gregorius Pont. Max. summam Datarii sui assiduitatem obstupesceret. Nihil nouum aut vobis inauditum dico, Cardinales amplissimi: interdum etiam hominem humaniter, vt solebat, repræhendebat, quòd nunquam cessaret, nullam animi relaxationi temporis partem tribueret, quieti nullam. quod profectò magno argumento est, quàm fuerit illle in officio vigilans, cum Pastor ille, cuius vigilantiam omnes suspicebant, nimiam huius viri vigilantiam admiraretur. Quis illo incorruptior? quis sanctior? quis in gratificando humanior? quis denique in benè de aliis merendo paratior? O beneficentissimi Pastoris imitatorem egregium quantùm aliis benefeceris, ipsi grata animi significatione recordentur, nostrum quidem Societatis Iesu Ordinem, cuius nomine immortales tibi gratias ago, tot tantisque tibi beneficiorum vinculis obstrinxisti, nulla vt vnquam dissolui temporum vetustate posſit. Sed vt orationem meam extremo illius vitæ actu concludam, quo illa vniuersis Christianorũ prouinciis perspecta virtus, nescio quod maius in purpura lumen accepit, cum illum Gregorius XIII. Pont. Max. tot meritorum atque insigniũ facinorũ memor, in vestrum (Cardinales Amplissimi) numerũ retulisset, & si eximiæ religioni, pietati, constantiæ sublimis ille honoris locus debebatur, sui tamen semper ita similis fuit, vt non tã illi purpura honori, quã ipse purpuræ or-

namento fuisse videatur. Qui biennio post, cum tamdiu se iam vixisse animaduerteret, vt nihil ad affluentem animi sui voluptatem desiderare videretur, nisi vt Gregorium XIII. incredibili orbis terrarum luctu, ac dolore ex hoc communi mortalium diuersorio, in illud cœleste domicilium, vt piè credimus, translatum sequeretur, cui se dum viueret carissimum fuisse intelligeret, diuino, vt opinor, consilio factum est, vt eodem penè tempore cum Gregorio, à quo, paulo ante mortem, excellenti esset munere affectus, præmijs quoque in cœlo afficeretur à Deo immortali sempiternis. At quanta serenitate, Deus bone, ac tranquillitate supremum clausit diem? quam non perturbatè, quàm suauiter? In morte sanè sibi vel maximè viuere videbatur, qui dùm viueret, ad beatè viuendum assiduè sibi moriendum esse cogitabat: vt minimè illius vita mori obliuione possit, cuius vel ipsa mors visa sit immortalis. Neque vero illud prætermittam, quod maxima videtur admiratione dignissimũ, illum, extremo penè spiritu, multis eius familiæ conditionem obijcientibus, ac pro ea deprecantibus, (cùm ille satis amplis, mediocribus quidem certè fortunis esset locupletatus) maluisse tamen in ijs Deo magna ex parte consecrandis pium se erga Deum, quàm propinquitati relinquend s, erga suos misericordem videri. quanquàm cũ ipse altera ex parte clarissimũ, ac primæ nobilitatis Romanæ ciuem, virtute sibi ac pieta-

te con-

te coniunctum, nulla propemodum fratris sui filij, adolescentis lectissimi ratione habita, testamento hæredem reliquerit, non obscurius profectò insignis cuiusdam prudentiæ dedit, quàm constantiæ ac fortitudinis argumentum: prudẽtiæ, in tanto viro ac tam digno hærede deligendo; in illa vero (quod ferè inauditum est) in consanguineos propensione neglecta, constantiæ, qui cum Francisco Contarello, fratris, vt dixi, filio, adolescenti optimo solam virtutem quasi effigiem morum suorum reliquerit, virtutem scilicet, quam à suis maioribus tanquam hæreditario iure acceperat, virtutem in quã, nõ opes, aut diuitias putauit propinquitati esse transmittendas. Quas ob res omnes, Matthæe Contarelle Cardinalis Amplissime, perpetua tuæ laudis extabunt, ac præclara monumenta; de te omnis posteritas loquetur; tàm insignis pietas, iustitia, diligẽtia, atque incorruptę vitæ integritas nullis futurorum temporum nubibus inobscurabitur. Florebit inter ista Lilia, huius templi ornamenta, & fornices tua liberalitate, ac magnificentia extructos, tuorum fama meritorum, cum hæc funebris pompa & sepulchri tibi excitati honos, non tàm tui sit nominis, quam tuorum erga te grati animi monumentum futurum.

ORATIO SECVNDA.

Habita in funere Philippi Guastauillani S.R.E. Cardinalis & Camerari: Romæ in templo S S. Apostolorum, anno 1587.

NON sat igitur fuit (Cardinales Amplissimi) Gregorio XIII. præstantissimo terrarum orbis pastore, ac Philippo Boncompagno Cardinali optimo priuari, nisi eodem propè tempore, alterum hoc lumen oculis nostris ad solatium relictum extingueretur? Ergo non potuit primus ille tàm grauis Christianæ Reipublicæ casus Gregorii morte accidere, nisi tantas, ac tam acerbas secum etiam traheret ruinas? ò miseram humanæ vitæ conditionem, si quæ interdum spes in malis, & calamitatibus relinquitur, illam oportet nouis mœroribus, & lacrymis obrui. Et quidem sanctissimus ille Pontifex, ita hunc clarissimum virũm suæ humanitatis, vigilantiæ, ac pietatis hæredem reliquerat, vt licet sui pastoris obitum non solum homines, verumetiam tecta ipsa lugerent, Philippi tamen Guastauillani præsentia, releuari non parum tanto dolore, & recreari viderentur. Nunc autem ita coguntur accepti iam pridem vulneris memoriam refricare, vt siue afflictæ

illius patriæ ſpeciem, ſiue nobiliſſimæ ſqualorẽ familiæ ſpectes, nihil vtrique videatur hoc tempore grauius accidere potuiſſe. quo fit, vt cum omni ex parte tot hominum lugubres me voces exanimenr, ille ipſe qui materiam dicendi mihi maximam præbet, dolor adimat vocem. dicendum tamen eſt, vtcumq; dici poteſt, ne ſi plus iuſto dolori tribuamus, quàm ſingularis eius animi magnitudo poſtulat, iniuriam mortuo, cui honorem viuo fecimus, faciamus. vera enim recte factorum merces, ac præmium cogniti viri laudatio eſt, potius quam dolor adempti; quamuis ſublata ex oculis virtus, tantũ ſui deſiderium relinquat, vt laudari omnino ſine aliquo dolore non poſſit. Quod autem genus laudationis eo viro dignum inueniri poteſt, quẽ virtus cariſſimũ ſemper omnibus effecit, vita benè acta præclarum? quẽ enim nõ commoueret illius eximia in rebus omnibus æquitas, cum ſibi videretur hominis vita prorſus indignus, niſi ſe animi moderatio ad omne tempus idoneum redderet, integritas ad iuſtitiam conformaret? Etenim cum iamdudũ Gregorium XIII. auunculum ſuum, ob egregia vitæ merita, in ſupremum illud Pontificiæ dignitatis faſtigium euectum audiſſet, non illum ſubitò ad inanem quãdam lætitiam rapuit ſpectabilis illa maieſtas, nõ illum Bononia Romam ſperatæ gloriæ aura tranſtulit; ſed cũ intelligeret tanti Paſtoris virtutes imitando exprimere ſe poſſe accuratius, ſi ad eam tamquã

perfectam sanctitatis effigiem ac speciem cominus accederet, Bononiam tandem inuitam reliquit, vt suo aduentu, maiore Romam lætitia cumularet. quò cum peruenisset, dici non potest quàm parum esset honoris appetens, cum tàm priuatam illis mensibus vitam ageret, vt qui eum nossent, Pontifici non tàm sanguinis affinitate putarent, quam virtutis esse coniunctum. Sed profectò præclaræ mentis gloria iacere in tenebris non potest, neq; tantus Pontifex, suæ putauit esse sapientiæ, illum, quem tanta animi æquitate esse cognosceret, debitis honoribus priuari, nec prouidentiæ, hominem summa (vt paulo post dicam) in rebus administrandis prudentia, ac iudicio, sibi non adsciscere laborum omnium socium, ac negotiorum. Itaq; illum in amplissimum Cardinalium ordinem ita cooptauit, vt cum in tanta dignitate suam illam, quã dixi, moderationem, & integritatem retineret, non deessent per eos dies, qui dicerent hoc honoris insigne, non tam propinquitati, quam rectè factis esse delatum. neque enim vir sapientissimus sui se tunc dissimilem putabat: nisi quod intelligebat multo illustriore in posterum exemplo cæteris esse prælucendum. Sed quoniã inter cætera eius animi ornamenta, tam acre, ac tam certum eminebat in rerum administratione iudicium, vt vel adolescens Bononiæ in quadraginta nobilissimorum virorum numerũ adscriberetur, quod genus grauioris negotij esse po-

teſt, in quo ſua illum non exercuerit tam ſingularis induſtria? non commemorabo quanta eſſet in hac vrbe annonæ vilitas, eo tempore quo ille vigilantiſſimus Paſtor, qui omnes nationes aleret, hunc diligentiſſimum virum publicis horreis, ac rei frumentariæ præfecit. non dicam quot hominum Ordines ſua ope defenderit, quã ſæpe hanc vrbem publico conſilio iuuerit, quàm ſapienter res domeſticas adminiſtrarit. hoc potius admirabile videtur (Cardinales Ampliſſimi) quod in vniuerſa Chriſtianæ Reipublicæ gubernatione nullus penè eſſet, cuius opera Gregorius plus vteretur, quàm huius diligentia, ſtudio, prudentia, integritate, fide. Et quiſquam igitur dubitabit, quin ille magna fuerit ſapientia, cuius in orbe terrarum adminiſtrando non parua eſſet auctoritas? neque vero ſilebitur præclarum illud factum, cum ab eodem Pontifice, qui ſiderum curſui moderando mentem intenderet, miſſus eſt ad terrarum fines regendos, ac terminandos. cum enim inter Bononienſes, ac Ferrarienſes, veteres adhuc arderent de finibus diſcordiæ, quas multi, ac magni Principes viri reſtinguere nunquàm anteà potuerant, tantum ille, & prudentia, & cõſilio, & auctoritate potuit, vt pars vtraque ſuis cedere finibus mallet, quàm non illius voluntati, humanitatiq; parere. Ergo tam ardentes controuerſiæ ſicut tanti viri expectatione languere cœperant, ſic eius aduentu pe-

nitus extinctæ sunt, ac sepultæ. Atque hæc quidem ille tanta celeritate confecit, vt id etiam in maxima lætitia, Bononiæ patriæ illius carissimæ non parum doloris afferret; nam cum se duceret huius optatissimi viri præsentia beatam, vno eodemque tempore illum sibi tunc, & datum vidit, & ereptum. Nunc autem quanto illam mœrore afflictam esse, ac prostratam putatis, cum non solum suo se Gregorio quasi parente priuatam sentiat, verum etiam vtroque Philippo, Boncompagno scilicet, & Guastauillano, quasi gemino lumine orbatam? sed vt Romam reuertamur, quæ tunc tantum Philippi Guastauillani reditu triumphabat, quantum mœrebat discessu Bononia, recordamini obsecro quanta fuerit ante aliquot annos plurimorum hominum lætitia, cum illum Gregorius XIII. perspecta tam multis, ac magnis in rebus eximia eius probitate ac virtute, S. R. E. Camerarium creauit. atqui profectò ita se in eo, quod grauissimum esset, munere atque officio gessit, vt nemini detrimento fuerit, omnibus adiumento. Ad hanc autem summam auctoritatem atque admirabilem in rebus tractandis industriam, suauis accedebat affabilitas, qua ita se vniuersis hominum ordinibus humanum atque officiosum præbebat, vt in auribus eius omnes omnium suarum precum domicilium collocarent; neq; vllus esset, vel infimæ conditionis, qui non eum, quem supremum dignita-

te suf-

te suspiceret, parem sibi facilitate prædicaret. Iam verò, vt alia omnia omittã, quæ in eo fuerunt communi hominum consensu egregia, vnum est, idemque præcipuum, à quo, si illud adipisceretur, & vitam se ducturum, & spiritum arbitrabatur; non enim honorum magnitudine, non diuitiarum copia, non collectæ apud omnes gratiæ aura, hominum animos putabat effici beatiores; sed sola in Deum pietate, atque integro Religionis cultu: sic, vt qui inter homines Deum optimum maximum pura atque incorrupta mente, ac voce venerarentur, maximũ vicissim ab illo pignus immortalitatis mererentur. Dicàmne illi, ob singularem pietatem, Beati Francisci familiam, magnum Christianæ Reipublicæ ornamentum, esse commissam? an potius Melitensium Equitum Ordinem, armorum decus, eius esse patrocinio creditum? an non vtrumq; ostendit, magnam in Philippo Guastauillano religionem fuisse, cum sua tutela, hos ferro, illos precibus in hostem armaret, animaret ad pietatem? Quid collegium Illyricum, arx quædam Orientis? quæ nõ in illud beneficia ab huius dextra profecta sunt? sed quid ego hæc in eius pietatis cõmendationem commemoro? cœlestis orbis gloria, Deus immortalis? thesaurus terrarũ, domiciliũ sanctitatis, Virginitatis Sacrariũ, Beatissima, dico, Virgo Lauretana, huic se felicissimo, ac fidelissimo viro custodiendã tradiderat: vt non solùm S.R.E. verum etiam Reginæ

homi-

hominum, ac Dei parentis Camerarius haberetur. Hoc tuæ pietatis præmium, Philippe Guastauillane Cardinalis optime, hic tuæ religioni habitus honos, hæc tuæ fidelitatis, ac vigilantiæ merces; nisi quod multo maiore nunc, vt piè sperandum est, in illo æterno beatorum animorum templo voluptate perfunderis. non enim Lauretanam Virginis Domum, quam paulo ante extremam ægritudinem tantopere cupiebas inuisere, non, inquam, Virginis Domum, sed vultum ipsum, speculum sine macula contemplaris: vt non sine diuino consilio factum esse videatur, vt cum te ad illud Lauretanum iter parares, Deus optimus maximus, eo ipso propè die quo beatissima Virgo in cœlum ascendit, illuc te quoque eius precibus adiutum, vt optamus, efferret. Solum hic tuum corpus iacet, miseræ atque afflictæ Patriæ tuæ solatium relictum. cuperet te quidem cum auunculo tuo atque altero Philippo suis visceribus Roma complecti, sed heu! quæ spes solatii superesset, luctu propè exanimatæ Bononiæ, si quem illi viuum eripuimus, etiam mortuum retineremus? sat nobis erit, tui memoriam tamdiu conseruare, dum te transactæ vitæ sapientia, beneficentia, atque insignis religio beabit. Immatura quidem tibi ad mortem ætas, sed matura virtus ad immortalitatem fuit; & extinctum esset tuæ illud purpuræ lumen, nisi ad illud nouæ lux felicitatis accederet: quæ profectò eò maior est, ac splendidior,

quò

quò nobis quæſita diuitiis atque opibus gloria, videri debet obſcurior. verus enim honorum diuitiarumque contemptus, plus tribuit mortuo laudis, quàm viuo gloriæ. Cum igitur tantum laudis dum viueres, & poſt mortem tantum gloriæ conſecutus ſis; vtrumque, & ſepulchri tibi excitandi magnificentia, & hominum in qua viuis memoria teſtabitur. Eſt enim ſepulchrum præclaræ mortis index, memoria verò glorioſæ vitæ monumentum perpetuum.

ORATIO TERTIA.

De laudibus ſapientis & æqui Senatoris, exercitationis cauſa ſcripta.

SI iuuenem de maximo viro dicentem audire, graue eſt auribus veſtris (viri nobiliſſimi) vt mihi nouum dicere; profectò plus laboris dicendo perfero, quàm vos audiendo moleſtiæ. quidquid enim dicatur, ea de re dicitur, quæ maximam dicenti difficultatem afferre debeat, audienti voluptatem: vt ſi quid in hac tam clari Senatoris laudatione incultum, ac rude videatur, laus etiam humanitati veſtræ non parua danda ſit, dicenti culpa tribuenda, ſed certè verendum non eſt, ne illius aures iuuenum voces, ac laudationem reſpuant, quæ ſemper infantium, ac pupillorum

pillorum omnium precibus patuerint; neve ille non ferat, se ab iis laudari, quos ipse tàm sæpe summa vi, atque auctoritate defenderit. Sed quid potissimum in tanta rerum ab illo gestarũ varietate suspiciam? iustitiàmne in iure dicendo, an constantem in hominum innocentum defensione acrimoniam, an potius incredibilem in omni vitæ decursu sanctitatem? Magnum quiddam est, ac sublime, (Auditores) in rerum administratione versari: homines tamen sumus, & publicas vtilitates suis rebus, ac priuato commodo præferre, nescio quid singulare est, ac planè diuinum. etsi enim vel natura nos ipsa mouet, ad omnẽ in omnes iustitiam, æquitatemque seruandam, ita tamen facti quodammodo sumus, vt tunc aliis satis esse factum putemus, si nobis sit omni ex parte satisfactum; & præclarè de republica nos esse meritos arbitremur, si ex ingentibus in illam collatis beneficiis, maiores in nos diuitias, & commoda deriuemus. Quod si quidquã in hoc integerrimo viro reperietur, quod eo toto tempore, quo Senatoris munere functus est, à recto iustitię tramite declinauerit, accusetur ille ipse, qui suas curas, atq; operam, in multorum salutem, non solum nulla mercede contulit, verum etiam suas opes in iis, quorum iudex esset, tuendis, fouendisque consumpsit. quanta igitur illius iustitia fuit, qui ne quidquam iniustè ageret, id etiam spreuit, quòd iustè posset acquirere? quis enim ignorat, quàm sæpè mul-

tos, qui varias ob causas potentioribus litem intendere iustam non possent, suis ipse laboribus erexerit, consilio iuuerit, ope defenderit? non enim patiebatur, vt plus in iudicio valeret iniqua gratiosorum libido, quàm iustæ derelictorum, ac mœrentium hominum querimoniæ; atq. ita fiebat, vt cum etiam vltrò, piorum omniũ patrocinium causamque susciperet, ageret, iudicaret, maximus idem omnium, & patronus esset, & iudex. Intelligebat nimirũ venalem esse non posse iustitiam, stultumque esse, quod pretio careret, auro mercari; & peruersum, si in iudicando plùs inesset in auro ponderis, quam in æquitate momenti. etsi enim iustitiæ pondus grauissimum esse debet, fieri tamen interdum potest, vt iudicis sententia in eam quasi lancem inclinet, in qua plus insit auri, quàm æquitatis. qui verò in criminibus iudicandis ita diuitum, ac nobilium potentiam reformidat, vt reorum in peccando licentia, iudici auferat in iudicando libertatem, is profectò eo se scelere obstringit, quo cæteros liberat, & dum prauo crimen iudicio tegit, eiusdem se criminis, & iudicem facit, & reum. At quæ tanta vis vnquam superborum hominum, aut potestas imperij fuit, quæ incorruptũ, & constantem huius fortissimi viri animum, non dicam frangere, sed ne flectere quidem, aut mouere aliqua ratione potuerit? An non etiam multorum principum, regumque conatibus obstitit, eas ipsas, quibus alios premerent, leges

ac iura peruertere molientium? quos non ill fastus despexit? quam nō insolentiam compressit? quas non minas, terroresque contempsit sed quid de vno rerum genere loquimur, de reliquis tam præstantis viri virtutibus nihil dicimus? quod ornamentum ab eius animo, qui pudor ab oculis, quod facinus egregium à manibus, quæ castimonia vnquam à toto corpore abfuit? Res est omnino ardua, ita, aut negotiis forensibus, ac publicis implicari, vt vacare tibi expedite possis; aut ita esse aliorum, vt te tui maximam esse partem memineris; quo fit, vt qui præstare vtrumq; potest, tantum possit, quantū effici potest. Quid enim magnificentius, quàm omnibus, nullo vel leuissimo sui detrimento, prodesse, ita instruere alios, vt te primo statuas omni ex parte perfectum? Rosa collectum angusto sinu decus aperit, & odorem efflat; beata, quòd & sibi ipsa decori sit, & cæteris voluptati. quam gratum est gemma pabulum oculorum? lacessit aciem, & implet, nec tamen quidquam de sua pulchritudine deperdit; quin etiā sibi pulchrior videtur, si videatur, & gloriosior, si te ipse in eius aspectu perdas. effluat aquarum copia, quanta potest è fontibus: ipsa sibi sufficit, nec exhauriri potest origo. quid igitur hoc viro admirabilius, quo in mediis tumultibus rerum publicarum, ac negotiorum, nihil vnquam fuit tranquillitate pacatius, charitate ardentius, castimonia sanctius, temperantia moderatius, humani-

tate

state facilius? quis eo tempore, vel pietate celebris, vel rerum gestarum magnitudine clarus fuit, cui non ille, & ad egregium facinus, insigne, & ad omnem in Deum amorem, facem prætulerit? hauserat videlicet ex illo fonte diuinitatis, tantum bonorum, quantum capere cum ipse non posset, facilè posset in alios transfundere. plenum sit enim, ac redundans necesse est, quod foras erumpit, & largiter effunditur. Quamobrem minime mirum videri debet, vir sapientissime, quod è tam ampla segete gloriæ, ac materia laudis, quam tibi, dum viueres, multis, ac magnis rebus gestis, ac virtutibus comparasti, tanta nunc existat gloria, tantæ laudes efflorescant, tam copiosi laborum tuorum fructus in omnem posterorum memoriam consecrentur. Nunc demùm tibi à Deo immortali merces datur, eò vberior, quò in dandis muneribus fuisti, quàm in accipiendis paratior; iique honores tribuuntur, qui & perfecto viro debentur, & æquo iudici. Habent rerum publicarum administratores, ac iudices, quod in te assiduè spectent, meditentur, colant; monumenta iustitiæ tuæ. vestigia pietatis, integritatis effigiem, simulacrum sanctitatis: vt dum in legibus, ac iure versantur, se non tàm iuris, quàm iustitiæ cultores profiteantur. Celebris semper erit tua illa insignis virtute vita, tot vibibus salutaris. in se enim perfectum fuisse, præclarum est; omnibus profuisse gloriosum. Neque solum tua te ciuitas, verumetiam

pro-

prouinciæ omnes immortalibus præconiis, ac laudibus commendabunt. neque enim interire id poteſt, Auditores, quod è virtute oritur, nec extingui morte, quod vitam parit, nec memoria labi, quod mutabilitatis eſt expers. hic ſolus ſplẽdor, hoc verum decus, hæc ſtabilis gloria, ita viuere, vt mori non poſſis, ita mori, vt vitam tibi mors pariat, priore vita beatiorem.

ORATIO QVARTA.

De Natali die Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

COMMVNIS omnium gentium, ac nationum lætitia, quæ cum auguſtiſſima Dei parente, ac Virgine oritur, (viri illuſtriſſimi) etſi tãta eſt, vt vel ex ipſa totius orbis terræ facie quodammodo erumpat, eius tamen vis, ac magnitudo hoc vno intelligi facile poteſt, quòd hodiernus dies tantum nobis affert boni, quantum attulit eius abſentia calamitatis. Cum enim humanum genus, tot ante ſeculis, teterrimo, ac luctuoſiſſimo elatum funere, nec lucem viderit, nec ſpiritum traxerit, ſe nunc primùm cum hac fortunatiſſima infante naſci, & cum illa redditam ſibi lucem intueri videtur: vt hic tam fauſtus, ac felix dies, nõ ſolum Virginis clariſſimæ, verum etiam to-

rius terrarum orbis iam pridem extincti, natalis propemodùm esse videatur. Quod si salutis, ac bonorum adeptio, eò maiorem parere solet voluptatem, quò fuit in malis, ac periculis mora longinquior, profectò necesse est existat nunc ingens gaudiorũ materia, cum à maioribus nostris numerata sint dolorum spatia plura, quàm sæculorum. Miseriarum enim magnitudo, ac diuturnitas, vberioris est seges felicitatis, & ipsã dulcedinem persæpè reddit acerbitas ante gustata suauiorem. At mihi quidem eò maior videtur hodiernæ celebritatis lætitia, quòd tot, ac tantis regibus, ac principibus, qui sui natalis diem, tanta cum voluptate agunt quotannis, & colunt, nulla planè lætandi causa iusta sit, multa mœrendi. Nascimur miseri, mortui, ante quàm nati, vt ipse vterus non tàm fuerit nascituris hospitium, quàm conceptis sepulcrum; & cum è visceribus maternis excludimur, non relinquimus tenebras, sed commutamus. nostrum ipsi porrò trahimus in ortu funus, & antè quàm viuere incipiamus, discimus mori; & quod miserandum est magis, ratione prædití, vti tunc ratione non possumus, nisi quod hoc vno sapere videmur, quod & insipientiam nostram vix nati gemimus, & eam ipsam, quam nescimus deploramus calamitatem. Quænam igitur isthæc esse possunt tam solemnia inter homines natalitia, cum huiusmodi annorum præteritorum recordatio, plus habeat in se mali quod lugeat, quàm boni

quo

quo delectetur? quid enim est illius diei, quo flere primò cœpimus, recordari, quàm lacrymas illas, primos ærumnarum nostrarum nuncios, risu, ac lætitia excipere? nostris miseri fruimur malis, eò stultiores, quòd cum exordium vitæ quotannis cum gaudio recolimus, ad vitæ finē celerius sine dolore delabimur. At verò quænam, vel exigua tristitiæ nubecula, vel vmbra doloris, tàm claram, tàm illustrem, tàm iucūdam hodierni ortus lucem obscurare potest? cū hic primus, vt mox dicam, primus inquam fuerit, in quo nulla insederit nubecula, nulla communium interiecta sit mora tenebrarum, qui quantum pepererit Virgini gloriæ, tantum attulerit hominibus lætitiæ, à quo & optatę salutis initium duci quodammodo cernimus, & in spem nos erigi perditę recuperandæ libertatis? Hæc prima lux turbulentissimis orta temporibus, hic vitæ dies, hæc origo bonorum, hęc ad omnem arx parata securitatem. sed me in cōmuni gaudio triumphantem, ad sese nunc vocant, ac rapiunt suaues illi puellæ oculi vagientis, & voculę, non miseris interpunctæ gemitibus, aut lacrymis abruptę, qui primi esse solent cæterorum cantus infantium; sed eæ, quæ & acceptæ modò naturæ intactam pulchritudinem, integritatemque testentur, & futuræ virę incredibilem castimoniam sanctitatemque prędicāt. Huc obsecro, si oculos non potestis, mentes animosque conuertite, qui locus vnquam in ter-

ris ad adſpectum naſcentis Solis, tam illuſtribus, ac pretioſis illuminatus eſt gemmis, vt hoc Annæ fortunatiſſimæ parentis domicilium infantis huius oculis, quaſi gemino ſidere ardeſcit? qui lapillus è tam puris emergit terræ venis, ac viſceribus, vt hæc ex perpurgata matris aluo exiſtit? Quæ tam mollis roſa effloreſcit, odoremque diffundit, & efflat ſuum; qui decor florum, quæ ſpecies amœnitásq; locorum, quæ pulcherrimum, ac pænè diuinum huius Virginis, in orbem terrarum ingreſſum referre aliqua ex parte, aut exprimere poſſit? Sinite repueraſcat oratio mea: de infante loquimur. Inflectit ſuauiter oculos, ipſa ſui, quem nondum agnoſcit, ſpectatrix decoris: rurſus attollere videtur eas, quas nondum mouere didicit manus, luminibusque pellucidis, quem à Deo immortali, tanquam à Sole trahit ſplendorem, eundem refert, ac reiicit in ſuæ lucis, ac ſplendoris auctorem. Arridet intuentibus domeſticis, tanquam lilium ſine macula, inter eos, quos nō potuit ſine ſpinis terra producere. ò pulcherrima, ac longè ſuauiſſima, tuus me Virgo rapit aſpectus, tua me trahit atque abſorbet gloria. quid mirum? cum Deus ipſe, qui te ſibi ſponſam elegit, in vno oculorum tuorum ſe ſentiat vulneratum? Huc conferta deſcendite beatiſſimarum agmina mentium, hæc cunabula circumſiſtite, & quam infantem cernitis, reginam agnoſcite. Erit, erit illud tempus, & non multò

post erit, quo vestris effusi sedibus, ac toto æthere longe lateque diffusi, sacrosanctum, ac diuinum huius integerrimæ puellæ partum ad præsepia de media nocte celebretis. Et quæ putatis (Aud.) à Deo optimo maximo in hanc vnam vel in ipsis adhuc matris visceribus, tanquam auro gemmam inclusam, ornamenta cõgesta, quæ collata beneficia, cum tot ante seculis, immo verò ab ipsa æternitate, collectos immenso illo diuinitatis sinu, paratosque thesauros, in eam, quę ante esset Dei mente, quàm parentis corpore cõcepta, hoc vno tempore, hoc momẽto, tàm largiter, copioseque profuderit? Nascitur enim, vt ante dicebam, nullis aspersa, vel attacta labeculis, immò verò etiam ita concepta, vt cum ex sterili parentis vtero in hanc lucem prodeat, non tàm naturæ partus, quàm Dei opus quodammodo fuisse videatur. tale videlicet esse debuit diuinæ domicilium maiestatis: vt quoniam in omnibus orbis terrarum partibus, nationes, ac gentes, tam opulenta, & magnifica sceleratæ Deorum superstitioni, ad ostentationem templa sacrarent, vnum existeret aliquando, quod tale esset, vt qui eius esset attentus spectator, diceret Deum immortalem illud suę potentię theatrum quoddam esse voluisse. Quas ob res omnes, tanta nunc, & ipsi felicitas & cœlo terræque lætitia oritur, vt facilè appareat nec ipsi quidquam gloriosius, neque nobis salutarius accidere potuisse. Nam illa ita Dei parens electa est, vt nos Dei parente

rente orta, certò sciamus filium esse nasciturũ: & ita hominum generi, ad omnem opem salutemque proponitur, vt cum nobis nihil vnquàm desit ad summam egestatem ac miseriam; nihil Virgini deesse possit, ad summam in ope nobis afferenda caritatem.

ORATIO QVINTA.

Die festo omnium Sanctorum: de illis Christi verbis: Beati Pauperes spiritu.

VILE admodum pretium (Patres Religiosissimi) Deus immortalis pro absoluta bonorum omnium adeptione deposcit. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: nec dubito quin plurimos Christi liberalitas ad eã felicitatẽ alliciat, quam alioquin sublimitas ipsa nimis arduã faceret, magnitudo possessione difficilem. Cum enim humanæ vires perexiguę sint, egestas verò atq; inopia tãta, vt & nihil nos posse & nihil habere fateamur; admirabile sanè est, quod eo ipso Deus optimus maximus beatos nos esse velit, quo & nihil nos posse intelligimus, & nihil nos habere lætamur. Bona nimirum tàm æterna, quàm peritura, venalia omnia sunt. sed profectò vtriusq; lõge dispar est dissimilisq; na-

tura; quòd hæc, vt comparentur, pretium poſcant, illa inopi ac miſero tribuantur; hæc, niſi quid afferas, emere non poſſis, illa nullo digniore pretio adipiſci poſſis, quàm nihil habendo: non quòd ad æternam gloriam rectè facta virtutesque conferri non debeant: ſed hæc ipſa maxima virtus eſt, Chriſti cauſa pauperem eſſe, & in rectè factis hoc præcipuum, in rebus fluxis nunquam animum figere. Sed quoniam non omnis inopia felix eſt, neque omnis paupertas beata; videamus quoſnam pauperes vera Dei ſapientia beet, tum demum de eorum felicitate diſſeremus. Quis enim eſt, qui eum pauperem beatum exiſtimet, qui ſe ideò miſerum putat, quod diues eſſe non poſſit? quid ſi caſus aliquis acerbus, ſua quempiam non minus tranquillitate, quàm facultatibus ſpoliet; ſi ſupellectilis, ac domus incendium, grauem in illo dolorem accendat, ſi animum frangat calamitas, ſi ruina mentem opprimat, hùncne pauperem quiſquam arbitrabitur, bonis omnibus orbatum, abiectum animo, fluctuantem curis, exeſum angoribus, mœrore conſumptum? Non igitur pauperem eſſe, ſemper laudabile eſt, ſed nihil appetere præclarum; neque bonis ſpoliari, magnum eſt, ſed in egeſtate lætari ſingulare. Dolor enim perditi boni, noui boni ſitim accendit, ſitis auget dolorem, dolor miſeriam: in ſumma vero miſeria, quæ poteſt inueniri felicitas? At verò ſi bonorum cœleſtium ardor, ita in nobis diuitiarum

tiarum atque opum inanium desiderium consumat, vt nihil tàm velimus, quam nihil velimus; neque tàm gratum sit opibus frui, quàm carere, tunc verè, tunc iure optimo, à Christo habebimur, & spiritu pauperes, & beati. Pauperem enim facere multa possunt, beatum, sine paupertatis amore, non possunt; & facultatibus abundasse, non inhonestum fuit, sed eas spreuisse, gloriosum. Quantam enim illius mercedem ac præmium esse dicemus, quem leuissimis vacuum curis nihilq. appetentē, summum illud bonum, Deus, inquam, immortalis explet liquidissimo fonte voluptatis? quàm opulentam eius possessionem, qui Deum solum possidet; quàm securam felicitatē, quæ in vna perennitate defixa sit? grassetur bellum, serpant incendia, vastet omnia repentina tēpestas; quid huic pauperi eripi possit, qui nihil esse suum putat, præter eum, quem nec mors eripere, nec vita potest? Vos ego testor, clarissima orbis terrarum lumina, ornamenta cœlestis domicilij, quorum laudes, ac res præclarè gestas hodierna die anniuersario cultu, solenniq. pompa celebramus, vos inquam testor, quos diuitiarum despicientia, ad veras opes traduxit, honorum contemptus ad gloriam, labor ad quietem. & verò quamuis dum adhuc in hoc hominum diuersorio vitam duceretis, vestra esset conditio felicissima, tamen vita illa vestra, tyrānis miserrima, regibus obscura, diuitibus egena, insipientibus stulta videbatur; nūc autē ve-

ſtræ gloriæ, ac maieſtatis vbique ſplendor effuſus ita omnium in ſe conuertit oculos, atq; animos rapit, nihil vt habeatur veſtra paupertate ditius, tenebris fulgentius, ſtudiis ſapientius, miſeria beatius. Hæ veſtræ coronæ, hi triumphi, hæc ſimulachra victoriarum, hæ acclamationes, hæc præconia, abiectis armis Imperatorum audaciam fregiſſe, patientia furorem, inopia potentiam, ſuppliciorum tolerantia crudelitatem. viuet, viuet illa quondam miſera hominibus viſa mortalitas, nunc à Deo feliciſſima immortalitate donata. extant, ac perpetuo extabũt in mentibus noſtris veſtrarum virtutum, ac fortitudinis impreſſa veſtigia. neque enim aliud à nobis deſideratur, niſi vt tam inſignes triumphantium exercitus, tam præclaras fortiſſimorum militum, & caſtiſſimarum virginum cohortes, non tàm laudum ſpecie, quàm factorum præſtantia, neque tàm fauſtis acclamationibus, quam accurata imitatione proſequamur: cum eoſdem nobis Deus immortalis ad cœlum gradus eſſe voluerit: neque vlla ratione putandum ſit, aliud iter hominibus ad veram felicitatem eſſe patefactum.

ORA-

ORATIO SEXTA.

Habita Romæ, cum cœpit docere Philosophiam, in Collegio Romano Societatis IESV.

Philosophandi laborem esse imminutum.

QVAE duæ res multorum animos à præclari alicuius operis susceptione auocare solent, difficultas, & exigua spes propositi finis assequendi (Auditores nobilissimi) earũ altera in Philosophicis studiis, ita imminuta est, vt deterrere neminẽ debeat; altera ita iam aucta, vt ad eadem studia capessenda ingenuũ quemq; vel maxime possit impellere. nam Philosophi, qui à mundi exordio ad hæc vsq; tempora floruerunt, cum & numero penè infiniti fuerint, & ingenio præstantissimi, spem numero semper aluerunt, mitigarunt ingenio difficultatem. quo fit, vt iam, non tàm nobis in rerum diuinarum, humanarumq; peruestigatione laborandum sit, quàm (quod de Alexandro Magno adhuc adolescente, licet in re dissimili, ferunt, qui conqueri soleret, quòd Philippus pater nullam sibi triumphorum segetem relinqueret) nobis, inquam, non tàm laborandũ sit, quàm dolendum, quòd superiorum ætatum sapientissimi viri laudem nobis penè omnem præripuerint, & exhaustis magna ex parte diffi-

cultatibus, posteris maiorem pudoris, quàm industriæ materiam transmiserint. Satis superq; honorificum est hoc tempore, si quod illi diuina quadam mente præditi, nos antè docuerunt, doceamus; neque parua est gloria, si eam quam primi repertam tenuerunt viam, & ipsi quoq; teneamus. Quibus de rebus quoniam hodierna die mihi esse dicendum putaui, si ad rem aptè, atq; apposité, quod vix spero, dixero, non paruo ad sapientiæ amorem incitamento fuisse videbitur oratio nostra: sin, quod maximè vereor, non admodùm accommodate, hoc ipsum fortasse causæ nostræ non oberit: plus enim inesse apparebit in dicendo, quàm in philosophando difficultatis, quamquam ea estis prudentia, vt rem vestro præiudicio certissimam, minimè velitis, aut exigui temporis momento pendere, aut vnius orationis infirmitate metiri. Etenim si Philosophia nunc primùm nasceretur, essent sine dubio ij nobis subeundi labores, quos omnes omnium sæculorum Philosophi pertulerunt. sed cùm non priùs homines esse, quàm philosophari cœperint, tantam rebus obscurissimis lucem attulerunt, vt in eo solum noster sit positus labor, vt quæ ab iis, & inuenta sunt, & exposita, ea nos summa cum voluptate intueamur. Philosophia, Aud. idem habuit cum hac rerum vniuersitate principium; & qui mentem homini atque intelligendi vim concessit Deus, eidem etiam ingenerauit discendi cupiditatem.

tatem. quem tamen ille in rerum procreatione ordinem, modumq; tenuit, eundem videtur voluisse ab hominibus in earum indagatione seruari. non enim primò simul omnia eo, quo sunt distincta ordine, condidit, neq; suis quæq; locis elementa constituit, sed informe priùs, & confusum rerum omnium, vt veteres appellant, chaos, edidit, tùm deinceps singula ita eduxit, formauitq;, vt nihil neque ad speciem pulchrius, neque ad aspectum iucundius, neq; ad maiestatẽ excellentius, aut esse, aut fingi possit. Hoc idem Philosophis facilè cernimus in sapientiæ studio contigisse. primò enim rudem, & valdè confusam rerum cognitionem, vetustissimi illi, qui sapientes nominabantur, habuerunt. non minimam tamen sibi laudem meruerunt, quod primi fuerint: & omninò in quouis artium, & doctrinarum genere primũ fuisse, ita gloriosum est, vt id posteritas omnis, quia imitari non potest, inuidia dignũ putet. Primus labor plerũq; sibi aut totum honorem vindicat, aut secundo non nisi magna ex parte imminutum relinquit: vel quòd difficultatem penè omnem, quam in rebus inueniendis maximam esse constat, exhauriat, vel quòd non parum emolliat, ac mitiget, vel denique quòd præstantioris cuiusdam ingenii aciem, iudiciiq; demonstret. Ergo primi illi, vt dicebam, sapientes, quod breuissimę vitæ terminus, industriæ cursum laborisq; præcideret, neque quò vellent progredi amplius possent,

cœptum ad rerum humanarũ diuinarumq; cognitionẽ iter, ac veſtigia impreſſa ſuis imitatoribus reliquerunt: vt quò illi propiùs accederẽt, eò liquidiùs ſapientiæ lux, ac ſplendor eorũ oculis eniteſceret; & quò eorum animi illius amore caperentur vehementius, eò etiã eius pulchritudine iucũdius fruerentur. Cũ igitur tot, ac tàm pręclara ingenia per omnes ætates floruerint; neq; vires vnquam longis progreſſionibus elanguerint, neq; diſcendi ardor ingraueſcente mũdi ætate conſenuerit, quis non fateatur, id quod probare conabor, multò faciliorem hoc tempore ad philoſophandũ redditã viam, tàm tritã, tàm non aſperam, tàm iucundam? Placetne à primis ordiamur? Hebræi, vt potè gentiũ primi, Aegyptiis cùm plurima, tùm præſertim Aſtronomiã, per annos amplius 400 quibus Aegyptiaca ſeruitute premebantur, tradiderũt. Hæc deinde accepta ab Aegyptiis arcana, Babylonij ita ſcrutati ſunt, atq; intelligere conati, vt in ſyderum contẽplatione, ac mathematicis rebus, quæ vt antiquitate, ita certitudine cæteris naturalibus diſciplinis antecellunt, 48. annorum millia conſumpſiſſe, priſcis illis temporibus crederentur: qui annorũ numerus, & ſi fabuloſus eſt, Babylonios tamen, vel maximè commendat, quòd eorũ ſtudia ſæculorum omnium diuturnitatem ſuperarint. Atlantem, & Vulcanum Nili filium, primos philoſophiæ principes, alij Hebraicarum rerum ignari, putauerũt. Prometheum alij: inter

ter hos, & Alexandrũ Magnum fluxisse infinita propè tempora. Zoroastrem quidem certè Bactrianorum regem, & Magorũ parentem, Hermodorus Platonicus quinq; annorũ millibus antè bellum Troianũ floruisse commemorat. error est in annis, in studiis magna commẽdatio: præsertim cum ille vicies & quater centena carminũ millia, de rebus cœlestibus mira eruditione conscripserit: quæ etsi vnà cùm infinitis Aegyptiorum, & Chaldæorum scriptis interierũt, negari tamen non potest, quin ab iis tanquàm fontibus philosophia, vel ipso Aristotele teste, profluxerit. quo fit, vt minimè audiendus sit Laertius, & quidam alij, qui Philosophiam in Græcia, & natã, & propagatã esse defendunt; indignũ rati, si sapientia, quã donũ cæleste appellant, barbaris donatam esse concedant. quasi verò soli sapiant Græci. Philosophia cœleste quidem est donum, hominibus tamen à Deo immortali datũ. Quòd si, quos vocant barbaros, homines esse nõ negant, quid est quod negent, illos esse potuisse sapiẽtes? certo definiri terrarũ spacio sapiẽtia nõ potest, (Aud.) habeat pro sede animũ, semetipsã pro comite. neq; Græcũ, aut barbarũ quærit, sed quæsita reperiri ab homine potest. Ne quis autem desit tàm insigni commento color, quia negare non poterant, Græcorum antiquissimos Philosophos, vt Thaletem, Democritum, aliosque quamplurimos, in Ægypto permulta de rerum naturis, à sacerdotibus illis didicisse;

ad Græcos Poetas philoſophiæ initia referre, quàm ad barbaros malunt. Quapropter Linum Thebanum, Muſæum Athenienſem, atq. adeò Homerum, & Heſiodum, quos fabularũ parentes appellare debebant, vt ſapientiæ Principes, non ſine aliqua ſtultitiæ nota venerantur. quaſi verò, aut Hebræis antiquior fuerit Muſæus, aut Homerus Aegyptiis. ſed cur Orpheum Thracẽ Poetam, & celeberrimum, & iis antiquiorem tacent? an quod, vt Laertius obiicit, indignas de Dijs cecinerit fabulas? at nònne Muſæus, Homerus, Heſiodus, ſcripſere turpiores? an quod barbarus fuerit? at hoc eſt barbaris ſapientiam inuidere, non quærere veritatem. Non eſt igitur quòd ſapientiam barbaris inuideamus, ſi ſapientes ſumus; ſi deſipimus, non eſt quòd magnopere de ſapientiæ antiquitate laboremus. An non apertè Hebræorũ peritiam, geminæ illæ, vt quidam memoriæ tradiderunt, poſt diras terrarum eluuiones, à filiis Nohemi erectæ columnæ teſtantur, qui veriti, ne ſi rurſum terra imbribus obrueretur, aut, quod aliquando futurum prędixerant, ignibus conflagraret, rerum, præſertim cœleſtium, cognitio, quam à Nohemo accepe-rãt, interiret; earum alteram lateritiam contra ignes, marmoream contra imbres alteram fecerunt, & in vtraque res mathematicas, ac naturales, pulcherrimis characteribus inciderunt, vt ſi homines non poſſent, ſaltem, vel ſaxa ipſa, ſui notas ingenij, ac ſcientiæ monumenta ſeruarẽt.

Sed profectò ſapientum memoria neque vndis obrui poteſt, neque flammis vllo modo conſumi. immò verò ſtatutæ illæ columnæ, nullis neque imbribus, neque igni deletæ, ſua ipſæ mole collapſæ ſunt, ac ſcientia in illis impreſſa, atque inciſa, ſæculis diuturnior, cum ipſa ſemper æternitate certabit. ſuam nimirum res vniuerſæ ætatem habent; occidunt illæ per ſe ſe, vel nullo perimente. Sola ſemper floret, & numquam ſeneſcit ſapientia; quin etiam præcipitante æuo ſtabilis, accipit potius cum ipſa diuturnitate incrementum. Sed quorſum iſta diſputo? nimirum vt intelligant omnes, quàm paruo nunc pretio emamus, quæ caro maioribus noſtris conſtiterunt: & cum propè infinitus annorum numerus, tot præſtantiſſimorum virorum ingenia exercuerit, quàm turpe ſit à rerum pulcherrimarum cognitione, neſcio qua difficultatis opinione, quam ita iam imminutam eſſe conſtat, arceri. Sed barbaros omittamus, vt enim primi fuerint, tamen non niſi rudem rerum præſertim phyſicarum, cognitionẽ tradiderunt. Iam quis eſt, qui Græcorum philoſophorum in omni doctrinarum genere excellentiam, in rebus abditis inueſtigandis ſolertiam, fœlicitatem in inueniendis, in intelligendis acumen, ſubtilitatem in explicandis, in defendendis conſtantiam, non dicam celebrare, ſed commemorare, non laudare, ſed mente conſequi poſſit? Quid tàm difficile, quod non ag-

gressi sint? quid tàm remotum, quò non peruenerint? quid tàm arduum, quod non pertinaci studio diligentiaque superarint? An in mathematicis versari placuit? & quid est in illis cœptum disciplinis, non ab illis omni ex parte perfectum? an naturæ opes contemplari voluerunt? nescias profectò quid suspicias magis, an cæteras naturæ opes, an eorum ingenia. ipsamet mirari natura visa est, cum in suis opibus, nihil ita, & clausum esse sensit, & abditum, quod non Græcorum ingeniis, & apertum esset, & peruium. quin etiam vis illa eorum mentis elata, se passa non est cœli finibus terminari, aut immenso illo ambitu coerceri. altius euolauit, ac per spatia illa inania, atque infinita exultans, & quòd nihil superesset, quod sciri posset, triũphans, id ipsum tamen etiam, quod cum nihil sit, sciri non potest, scire se posse monstrauit: illic interualla finxit, illic motum, illic fixum, illic nouos terrarum, cœlique orbes, hasce angustias pertæsa, quæ fiuit. Vbi nunc Alexander Macedo, noui terrarum orbis desiderio ardens? vbi eius vires, & militaris industria? an illuc vnquã, quò Aristotelis eius præceptoris ingenium penetrauit, inferre arma potuisset? O tempora illa fortunatissima, cùm beata senectus in sapientiæ studio canescens, ante finem viuendi fecit, quàm discendi? O prisca secula, quibus cum & viuere, & mori philosophando contingeret, & viuere pretiũ fuit, & mori gloriosum? At enim

Græco-

Gręcorum permulti non paucis in rebus ita hallucinati ſunt, vt ſuæ doctrinæ lucem, variis errorum tenebris inobſcurarint. Thales Mileſius aquarum rerum omnium principium fecit; Anaximenes aerem. Vnum eſſe principium infinitumque Anaximāder aſſeruit; Democritus duo, Inane ſcilicet, & atomos infinitas. Heraclitus, qui Pythagoræ magiſter fuit, ex igne cōſtare omnia, & in eundem cuncta diſſolui; ſciri omnino nihil poſſe, quòd omnia fluminis inſtar cōtinuo fluāt. quid attinet huc Pythagorę μετεμψύχωσιν afferre? an non videtur ſomniis delirantium quam ſimillima? ſed nihil eſt ad riſum accōmodatius Anaxagoræ doctrina: audite obſecro. hic nobiliſſimis ortus parentibus omnino perſuaſum habuit, ſe à Deo immortali hominibus datum, ad rerum cœleſtium ſecreta aperienda. A ſole philoſophandi initium faciens, illum Peloponneſo paulò maiorem eſſe voluit: & cuius naturæ? ferreæ, ſi Deo placet. nihil enim aliud eſſe Solem, niſi laminam igneam, atque ardētem. In Luna eſſe habitationes, & montes, & valles: diceres hominem ibi commoratum, ac ſpatiatum: item ſtellas eſſe lapides; cœlum lapidibus coagmentatum eſſe: ex iis, aliquos, ob incredibilem citatiſſimi motus celeritatem, è terra in cœlum rapi, alios viciſſim in terram detrudi: ita vt nos, cum per vias incedimus, ſaxa interdum putemus, quæ ſtellæ fuerunt. quàm præclarè vir iſte occubuiſſet, ſi cæteri Philoſophi, ſuis eum

stellis, hoc est lapidibus, obruissent; næ ille non inuidisset Aegyptiorum Regibus superba Mausolæa. Et ne quis existimet, eum talia per iocum effudisse, ob hanc vnam causam, vltimo supplicio affectus, tàm præclara dogmata suo ipse sanxit interitu. Superuacaneum est aliorũ quorundam afferre sententias; vel quòd omnibus notæ sint, vel quod non deceant orationis dignitatem. Vehemens est hæc accusatio, Audit. nec video quid ad illam responderi facilè possit. Sed quid? reprehenduntur isti quod errarint? & quis vnquam mortalium fuit, quem non errare contigerit? nonne Aristoteles ipse, quem veluti philosophiæ Deum Græci, & Arabes coluerunt; se multiplici lapsu hominem esse ostendit? (non de diuina nunc disputamus, Aud. sed de humana scientia.) Adde quòd illi, quos modò enumerauimus, philosophi, Græcorum primi fuerunt, neque vllos omnino, præter Aegyptios, qui nescio quibus mysterijs inuoluere omnia consueuerant, quos sequerentur, habuerunt. quamobrem laus non exigua tribuenda illis est, quòd primi fuerunt, venia danda, quòd errarunt. rerum enim omnium initia parua sunt, atque infirma: temporũ progressione crescunt, & corroborantur. quid in vrbe Roma mirabere magis, an obscuritatem nascentis imperii, an pulchritudinem adolescentis, an ad virilitatem perducti maiestatem? sic & philosophiam nasci, & adolescere, & sen-

ſim matureſcere oportuit. Sed quid eorum errores commemorantur, pulcherrima, ac certiſſima tacentur inuenta? Quis inter Græcos Aſtrologiæ princeps fuit, niſi Thales Mileſius, qui primus Solis defectus, conuerſioneſque deſcripſit, anni tempora, viciſſitudineſque notauit, curſum annuum in 365. dies mira arte diuiſit? quis Gnomonem inuenit, præter Anaximãdrum, qui cum primo Lacedæmone ſtatuit? Quid, nonne Anaxagoras, Materiam primam, ex qua conſtarent vniuerſa, docuit neceſſariò eſſe concedendam? Heraclitus verò, ſine dubio, multa per allegorias, ac metaphoras effari ſolebat, quæ ſi vt debent intelligerentur, non ita certè a veritate abeſſe iudicarentur. Anaximander item ambitum maris terrarumque deſcripſit, ſphæram inuenit, & cœleſtium orbium immenſitate in anguſtum globulum redacta, oſtẽdit cœlos eſſe mente humana minores. Pherecydes, ac Theopompus, tàm doctè, & ingenioſè de natura diſputauerunt, vt cum res natura procrearet, eius cõſilio interfuiſſe viderentur. Quid Arceſilaus? nonne primus publicè docuit in vtramque partem diſſerere? Quid de Archelao dicam, qui primus tam egregiè de ſenſibus externis philoſophatus eſt, vt facere non poſſim quin ſuſpicer, Ariſtotelem ab illo multa ſumpſiſſe. Sed eſto, nihil à vetuſtiſſimis ſapientiæ cultoribus didicerimus, nihil acceperimus. Deus immortalis? quod ornamentũ lau-

dis, quod insigne gloriæ, quod monumentum honoris poterit vnquam eorum, qui paulò post in Græcia floruerũt, ingenio, vigilijs, industriæ, studio, laboribus, curis, diligentiæ consecrari? quod præconium non Platone dignum? quæ nõ Aristoteli debetur æternitas? Quis illius in scribendo grauitatem, huius in rebus inueniendis, atque intelligendis vim, & acumen, vtriusq; in Aegyptum, ac per Græciam vniuersam peregrinationes, non dicam exprimere vlla ex parte, sed vel leuiter adumbrare dicendo possit? At Aristotelis scripta ita obscura sunt, & perplexa, vt plus in illis intelligendis sudandum nobis sit, quam illi fuerit in rerum naturis percipiendis laborandum; ac dubitari meritò possit, an ea ipse intelligi voluerit, an potiùs tanquam arcana quædam mysteria, coli. Rectè id quidem, ac verè dicitur: seu illum obscurum reddiderit ingenium, seu voluntas. Sed, ò nos cœcos, si in tanta tum Græcorum, atque Arabum, tum Latinorum interpretum perspicuitate, lucem non aliquam aspicimus? ò nos abiectos, si in tanta doctissimorum hominum multitudine trepidamus? cum & verborum Aristotelis numerum, interpretum multitudo penè superet, & circumiectas vsquequaquè tenebras lux infusa discutiat. Quæ cum ita sint, quo tandem animo nos esse oportet in comparanda rerum scientia, qua spe nos efferri par est, qua cupiditate accendi, cum præterita secula non auara, aut inuida, sed o-

pum

pum prodiga suarum, ac posteritatis amantia, non solùm nobis præstantissimorum philosophorum memoriã, nomenque reliquerint, verum etiam eorum eruditionis notas, industriæ vestigia, monumenta sapientiæ, vigiliarum fructus, tanta cum omnium vtilitate, ac voluptate donarint? nos eorũ disciplinis instituimur, informamur præceptis, doctrinis imbuimur; nos eorum fruimur bonis, diuitiis locupletamur, victoriis triumphamus. O præclaram scilicet operam nostram, & ò curas difficiles? Illi clausum ad sapientiam iter aperuerunt; nos ingressi sumus: illi dumetis horridam, ac plenam salebris viam complanarunt; nos sine offensione incedimus: illi magnificentissimum sapientiæ domicilium patefecerunt; nos penetrauimus: illi lautissimas epulas conquisiuerunt; nos opiparè cõuiuamur: illi theatrum, ac scenam pulcherrimam nudauerunt; nos spectatores sumus. Et quid amplius per Deum immortalem! desideramus, aut ad studium opis, aut ad laborem subsidii, aut ad industriam adiumenti? Sed vt alia omnia, quæ in hanc rem afferri possent, consultò prætercam, & quem maiores nostri philosophandi facere non potuerunt, dicendi finem faciam; sit rerum, quibus affluimus, abundantia minor, sit phisophorum non tanta copia, cessent etiam tot incitamenta; an non Aristotelis Organũ, quod logicã. vsu recepto, nuncupamus, tam admirabili inuentum ingenio, & arte perfe-

ctum

ctum est, vt ad scientiæ omnis adeptionem nihil efficacius, ad profectum nihil vtilius, ad breuitatem nihil cōpendiosius excogitari vnquàm potuerit? cæteris in rebus Aristoteles se insignẽ philosophum, in Logicis videtur se Aristotelem haberi voluisse. In Physicis, ac Metaphysicis, cum aliis decertauit, in arte syllogistica secum ipse contendit; vt quantò, vna ex parte, aliis esset superior, tantò esset, ex altera, se ipso maior. Nihil fingimus, Aud. nihil ad veritatem assuimus: legite postremum secundi Elenchorum caput: in reliquis disciplinis, ac facultatibus, fatetur se semper aliquid ab aliis accepisse; de syllogismis autẽ, inquit, omnino nihil habuimus prius aliud quidquam, quod diceremus, quàm more perquirentes, multos tempore insudauerimus. Et paulò post; Reliquum erit, inquit, omnium vestrum, vel eorum, qui audierunt hoc opus, omissa quidem artis, venia dignari, inuenta autẽ, multa prosequi gratia. Hæc ille. Sed finis sit: plura fortasse diximus, quàm ad rei veritatem per se manifestam dici oporteret, quàm ad dignitatem, & commendationem afferri deberẽt, pauciora. Sed certè plura hodierna die pro temporis breuitate præfari non potui, & pro veteri consuetudine pauciora non debui. Et vos ij estis, quorum neq; humanitas orationis longitudinem fastidiat, neque reprehendat prudentia breuitatem. in vtro peccatum à me sit, non est mihi magnopere laborandum, si breuior vi-

sa est

sa est oratio nostra, placuit; si longior, persuasit. Quis enim est ita infirmo animo, quem difficultas in studio sapientiæ frangat? quis ita desperato, quem non spes aliqua erigat? quis ita agresti, quem non rerum pulcherrimarum cognitio alliciat? sint difficillima omnia, sint molestiarum, curarumq. plenissima: quid, quæso, homini ad laborem nato esse optabilius debet, quàm in eas res tempus omne contulisse, quæ vel quæsitæ non parùm laudis pariant, inuentæ plurimum gloriæ? in quibus, vel ipse pro quiete labor placeat, pro pabulo fames, cura pro leuamento, pro mercede studium, spes pro incitamento, pro solatio voluptas? Ea est nimirum philosophiæ dignitas, atq; vtilitas, vt licet in ea consequi non possis, quod sperasti, præclarum tamen fuerit sperasse, quod optaris. quas tu mihi honoris vmbras obiicis? quas opes? quæ tu mihi bona commemoras? In animo, si vis, positum est tuo quidquid, aut pretiosum est ad vtilitatem, aut honorificum ad dignitatem. qui extrinsecus emendicatis pascuntur honoribus, in aliena possessione turpiter viuunt, peregrinantur in sua. lux est animi scientia, inquit Aristoteles. qui in rerum quas oculis cernit, ignoratione versatur, similis est ei qui cæcus errat in sole. Præcipuas philosophi diuitias Anacharsis, & ille quidem Scytha, putauit esse libertatem. tu igitur tuis contemptis opibus, quæsitis alienis, tàm miseram emes pro libertate seruitu-

tem?

tem? Crœso Lydorum regi, vestimentorum gloria sese iactanti, ac purpura ebrio, Solon ille sapiētissimus, Psittacos, ac Pauones rescripsit multo esse beatiores, quòd hos natura vero, illum ars mentito colore vestisset: vtrisq; meliorē esse philosophum, quem non coloris fulgor raperet, sed virtutis. Alii ethnici philosophi, cœlum philosophorum patriam esse dixerunt, & domum, quòd terrarum angusta illis esset amplitudo: illos, aut sedere in concilio Deorum homines, aut esse inter homines, veluti Deos: illos vitam viuere, aut Diis admirandam, aut Regibus inuidendam. Tùne igitur, cùm te beatis mentibus reddere philosophia simillimum possit, in luto semper hærebis, viues in sordibus, in cœno conquiesces? Sola videlicet corporis interiecta nubecula, nobis æternæ lucis aspectum eripit, Aud. breui tantum ab illa interuallo disiungimur. O diem illum fortunatissimū, cum spoliatus corpore animus, quod hic assequi laborando non potuit, quiescendo consequetur: cum immensis circumfusus splendoribus, lucem, lucem illam, cuius pulchritudinis amore tandiu arsit, hauriet quantùm poterit; poterit autem, quantū volet: & velle qui non maximè id poterit, quod solum potest cupiditatem explere sitiētis? O templum illud animorum, domicilium gloriæ, theatrum diuinitatis? vbi, vbi quod hic tàm diuturno tempore quæsitum est, hora, momento, puncto temporis inuentum, dabit, sine

tempo-

tempore, ſecura ſui poſſeſſione, fœlicitatē. Nos hic interim, Auditores, vitam illam philoſophando, vt poſſumus, imitemur. nihil nobis deeſt, vt hactenus dixi, aut opis, aut adiumenti. Maiores noſtri nihil non tentatum, nihil non inuentum, aut non explicatum reliquerunt. multò ſunt omnia nunc, quàm vnquàm fuerint, faciliora. ſpes ipſa creſcet etiam magis, cum diſcendi cupiditate. Afferte animos, afferte voluntates. mediocris labor ingentium vos bonorum partu beabit. Quid præſtare ego poſſim, iudicent alii, quid polliceri debeam, dicere non reformido, futurum, vt ſi veſtra diligentia meis conatibus, veſtra in me propenſio meo in vos amori reſpondeat, neque me meorum laborum pœniteat, neque veſtrum quiſquam ſua ſpe, aut expectatione fraudetur.

ORATIO SEPTIMA.

Habita ante libri ſecundi Meteororum explicationem, in Collegio Romano Societatis IESV.

SECVNDVS eſt annus (Auditores nobiliſſimi) cum librum primum Meteororum hoc ipſo tempore, vt meminiſtis, explicaui. Iam ſequi videtur vt quæ de mari, ac ventis, de terræ motu, ac tonitruis, libro ſecundo continentur.

differa-

differamus. Non facilè negotium adgredimur, materia amplissima est, ingenium exiguum, tēpus breuissimum, ita vt cùm in tam magna rerum, de quibus agendum est, difficultate, non parua videatur expectatio de me vestra; verendum sit, ne non rebus ipsis satisfacere possim, pro debito nec expectationi vestræ, pro voluntate. Alterum mihi pudorem afferre debet, alterum molestiam: nam officij partes non exequi, turpe videri solet: & acerbum est eorum quos ames, obsequi non posse voluntati Quòd si oneris mihi communicati partem, communi etiā, ac pari laude sustinere possem, fortasse aliquod leuamentum esset, ingenij & doctrinæ communis commendatio. Sed cum hoc onus, qualecumque est, illi qui plus possunt recusarint, ego qui minus valeo, susceperim, non dubito quin illi suo cum honore quiescere possint, & ego post triennij philosophici decursum in docendo stadium, iterum debeam, non sine aliquo periculo, laborare. Quonam enim modo è maris immensitate, agitatione ventorum, terræmotibus, ac ruinis, è mediis denique fulminibus, illæsus, atque intactus euaderem? Nulla est, mihi credite, vis tanta solertiæ, nullum tantum ingenium, quod non in istarum rerum peruestigatione, aut percuti fulmine, aut opprimi terris, aut ventis ludibrio esse, aut vndis obrui quodammodo possit. Quid enim? nonne in medio maris æstu, atque euripis, Aristotelis non solùm philosophi-

cum ſtudium, verũ etiam vita naufragiũ fecit? cũ ille, teſte Iuſtino martyre, graui dolore oppreſſus, quòd harũ rerum cauſam cõſequi nõ poſſet, ſpiritum vndis reliquerit, & poſtremos labores fluctibus conſecrarit. O beata tàm nobili naufragio maria, & vndas, quas philoſophorũ Rex, & monumenta ſuæ in diſcendo ſitis eſſe voluit, & teſtes abditæ in fluctibus, atq; incognitæ veritatis? Sed quoniam in his caloribus, vobis, & venti ſunt, & aura iucundior, quam fulminum fragor, ac terræ tremores, & iſtius ſemihoræ anguſtiæ amplitudinem maris excludunt, mecũ ipſi, obſecro, tantiſper dùm hic eſtis, ſolummodo reputate, in ventorum contemplatione, ſiue naturam, & motum cauſas, ſiue numerum, varietatemque conſideremus, quanta ſit ingenij fluctuatio, quanta omni ex parte difficultas. Ac primò quidem ſeſe ingerunt, ac verberant oculos, quaſi muſcarum greges, importunæ Democriti atomi. Ventos iſte putauit eſſe atomorum, è neſcio quo anguſto Inani, ruentia agmina. equidem nunquàm animo fingere potui, vndenam iſte homo ex atomis concretus, tantum atomorum corraſerit, aut quid tantùm illas in deliciis habuerit, vt ex illis omnia, tanquàm ex panſpermia, cõflata eſſe iudicarit. porro à ventis atomos excitari, & in oculos moleſtè incuti, plerumq; ſatis experimur in plateis: ſed quòd ipſę atomi ſint venti, certè id mihi nõ poterit perſuadere Democritus. Ea verò, quæ Pythagoræi hac de re ſenſerunt,

runt, nihilo sunt, opinor, Democriti commento melioıa. Miror tamen, cur non illi, quemadmodum de Mari, ita etiā de Ventis, seruata proportione, philosophati sint. Etenim existimarunt Mare nihil aliud esse, nisi Saturni lacrymam. Lacryma illa Saturni, si prima fuit, Saturnus, obsecro, cohibeat reliquas, ne totum orbem terrarum inundet. Mare autem salsum esse putauerunt, quia lacryma salsa est: salsè profectò. Si igitur mare est lacryma Saturni, cur non pari ratione asseruerunt, ventos esse Saturni suspiria, pluuias esse sudorem, tonderi eiusdem canos, cùm nix decidit? Hæc enim dicere potuerunt, ridiculo quidem sermone, sed cohærenti. Alij ventos esse volunt aerem commotum, ac fluentem. hoc inter Stoicorum dogmata recenset Plutarchus lib. 3. De placitis Philosophorum. est etiam opinio, si Medicos delectat, Hippocratis. Benè se habet, si ventum intelligant Stoici, quem facitis, qui flabello ventilat auras, ad captandum frigus, aut quem grauidi folles expirant: sin aliter, certè quàm diuersa est ab aere ventorum natura, tàm est aliena eorum à veritate sententia. Quis enim vestrum est, Aud. qui non videat, quæ & qualia sint in ventis, quæ aeri, vel concessa, vel commissa, fabulosa videantur? sicco spiritu perflare auras, oblique moueri, cieri ex his, & illis partibus, hoc & illo tempore, modò languido motu, atq; imbecilli susurro, modò impetu, & fragore maximo;

ximo; raptare arbores, fluctus in cœlum efferre, sternere domos, quassare turres, bacchari, furere, miscere omnia ruinis: Deus immortalis! & hæc Stoico vento tribuentur? modò hæ, modò illæ aeris partes, silentibus, atq; immotis reliquis, Hippocrate arbitro concitabuntur? Stoicorum igitur decreto sese aer, nullo motore, mouebit, vel etiam se in nouam formam, naturamq; mutabit? neq; enim vllam nobis religionem mouent Astronomorum arcana mysteria. qui ab astris, quorum ipsi sunt cultores, aerem agitari, & tunc esse ventum arbitrantur: neque nos magis Senecæ Philosophi, & seuera, & grauis flectit oratio, qui docet aerem in se ipso habere obliqui motus insitum, & naturale principium. Nunquàm profectò tanto suo malo in Aeoliam, quà soluerat, reiectus esset Vlysses, si huiusmodi ventis inflatos illi vtres Aeolus tradidisset: non enim tunc illi stulta sociorum cupiditas naufragij periculū attulisset, cùm è solutis vtribus, pro argento, turbulentissimus ventus, auaritiæ merces, erupit. Nec erat præterea, quòd ad Aeolum Iuno Teucrorum ruinā machinata, supplex accederet, cum in aerē, quem Stoici ventū esse dicunt, apud poetas, teneret principatū. Sed mittamus fabulas. Ventorum origo, atque affectiones, inquiunt alij, non solum intellectus humani, verumetiā naturæ vires excedunt. quāobrem non est, quòd quisquā irritos labores in ventum spargat, scientia ventorum haberi non

poteſt: vna ſufficit diuini vatis auctoritas; Qui profert (inquit, cum de Deo loquitur) ventos de theſauris ſuis. Deus igitur aut Angelorum ſuorum miniſterio, aut aliqua alia ratione, præter communem naturæ ordinem, è ſecretiore theſauro ventos effundit. Audi. Iſta opinio, via quidem ex parte plenam pietate rerum ignorationē præſefert; ſed pugnat, ex altera, contra veritatē. non ſolùm enim philoſophis viam intercludit omnis inueſtigandæ veritatis (nam qualibet propoſita difficili quæſtione, huiuſmodi prompta reſponſio eſt) verumetiam falsò vētis atttribuit peculiarem quandam diuinæ potentiæ motionem. Quod autem ad diuinas literas pertinet, illæ quidem Dei ſapientiā in rerum omnium procreatione, & gubernatione, commendant; resta men naturales inueſtigari, ac ſciri poſſe non negant. Multa ſunt homini à Deo, afflicto quondā, ac mœrenti Iob, in ſolatium enarrata. Nunquid ingreſſus es (inquit) theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram? quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonātis tonitrui? quis eſt pluuiæ pater, aut quis genuit ſtillas roris? de cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit? nunquid mittes fulgura, & ibunt? & reuertentia, dicent tibi, adſumus? Mitto alia multa, quæ naturales actiones rebus iſtis non adimunt, dum opificis ſapientiam celebrant. non enim obſequentis vires, potentiam

tentiam minuunt imperantis, neq; naturæ ſpecies, ſua detrahit ornamenta conditori; quin potius hæc omnia, quæ oculos noſtros, ac mentem ſui admiratione rapiunt, cum & diuinæ ſint ſigna gloriæ, & notæ bonitatis, creſcat oportet pretio notæ, tantæ bonitatis magnitudo, creſcat etiam ſigni pulchritudine, tantæ gloria maieſtatis. Et tu igitur ventos, quia non intelligis, à naturę ſocietate ſeiunge? ergo tuæ mentis infirmitas, noua nobis cudet miracula? ſtultum eſt profectò, ſi cæcus, quam non videt lucem, lucem eſſe neget. Satius igitur fuit dicere ventorum theſauros, non quidem naturę ipſi, ſed intellectui humano clauſos, atque abſconditos eſſe. Scire ſe neſcire, certiſſima ſcientia eſt, & hoc ipſum profiteri, eſt ſapere. Laus eſt, Aud. nulli obnoxia inuidiæ, cognitæ imbecillitatis non fucata cõfeſſio; & rerum quæ oculis ſubiacent ignoratio, ſuſcitat flammas animi diuinos anhelantis amores, & ad cœleſtia ſpectacula ſuſpirantis. Sed quid tandem de natura ventorum, ac motibus decernendum eſt? audire cupitis? ſeruate mihi iſtam integram famem. Huc redeundum eſt. Non hæc, quæ dixi, vt de ventis dicerem, dixi; ſed vt quæ dicenda ſunt, ſignificarem. Dulce poſthac condimentum erit excitatus hodierna die appetitus. producta fames, pretioſa, & vtili fraude, nouam famem parit; & amatæ rei deſiderium, non ſolum viuit, verũ etiam creſcit in mora. denique delectatio nõ ex-

pleta, suum habet præmium; scilicet diuturna est, quia semper aliquid superest, quod delectet. Sed quid à me quisquam de ventis expectare potest, nisi quod Aristoteles nobis, & Peripatetici reliquerunt? Ventos esse quasdam exhalationum species; illas, dum cohærentibus partibus sursum volant, & in mediam aeris regionem penetrare non possunt, reflecti, ac retorqueri; retroactas verò cum in infimam sedē descendere nequeant, ex aduerso agitari, & quò primùm impetus tulit, eò in obliquum ferri, ocyus, segniùs, pro conditione, pro copia, pro qualitate ipsarum, cæterarumque causarum? Verum enimuerò quoniam ista grauissimas habent, & implicatas difficultates, potissimum verò, quæ sint causæ cur huiusmodi exhalationes è superiore loco primùm reflectantur, cur moueantur obliquè, cur in hanc potiùs, quàm in illam partem, cur tanto impetu, ac vehementia, cur hoc & illo tempore, & oriantur, & occidant, satis pro vestra prudentia intelligitis, (Auditores optimi) hodierna die, nec à me afferri posse, nec à vobis expectari debere. Hæc igitur omnia suo tempore, postquàm de Mari dixerimus, Deo iuuante, explicare conabimur. Non enim rerum difficultas fugere debet, sed quærere veritatem. Quare cum honestus labor contemni non possit, si quod optas, consequi non vales, quære laudem conatu. Quicquid sit, mei est officij, vt & vestris desideriis obsequar, &

eorum qui me regunt paream voluntati. alterum enim negligere inhumanum eſt, detrectare alterũ, nefas. Et quoniam, vobis, vt initio dixi, ſatisfacere omni ex parte poterãt ij, quorum ingenia iã pridem perſpecta ſunt, ego verò id, pro dignitate, præſtare me poſſe diffido; quoties in hoc, qualecumque eſt, munere peccauero, veſtrum erit iudicare, vtri potiùs veniam mereantur; an ego, qui rem ſuſceperim, an illi qui recuſarint.

ORATIO OCTAVA.

De Christi morte: habita coràm Clemente VIII. Pont. Max. Romæ, in Sacello Pontificio, anno 1593.

SI funeſtus Chriſti Seruatoris, ac vitæ noſtræ parentis interitus, admirationem ſui commemoratione vehementem parit, & acerbum dolorem, neceſſe eſt, Pater Beatiſſime, ſubeſſe id, vnde & exiſtat admirationis magnitudo, & impetus doloris erumpat. Nouum enim, atque atrox ſpectaculum eſt, Deum intueri, & morientem, & mori volentem. Cum igitur hominum ſcelus illi vitam ademerit, amor in homines ad mortem impulerit; magnam profectò in altero grauitatem eſſe oportet,

quod Deo ipsi eripere vitam potuerit, in altero vim incredibilem, cuius impulsu ille mori sua spontè voluerit. Et hoc etiam admirandum magis, quod alterius grauitate, vis crescit alterius, & auget nostrorum magnitudinem criminum, diuinæ magnitudo caritatis: cũ illa sese in nos, cum adhuc inimici essemus, effuderit; & nos ei mortem intulerimus, qui mortuis vitam afferret. Sed neque illa obrui scelere humano potuit, neq; perfidia superari. ita enim pietas cum impietate contendit, cum odio amor, cum homine Deus, vt cum sine cæde, ac sanguine, nouum hoc belli genus esse non posset, hic dum occumbit, vinceret, ille dùm ferit, sanaretur; hic vitam perderet tot inter vulnera, ille iampridem perditam recuperaret: atq; ita fieret (ò clementiam omnibus seculis prædicandam!) vt copiosum sanguinis flumen, quod ex aperto illo, atque à nefaria hominum dextera patefacto pectore, hoc est amoris fonte erupisset, non in æternam humani generis infamiam, ac ruinam, sed potius in gloriam, salutemque redundaret. Immò verò, ne quod amplius præteritæ culpæ vestigium, aut sceleris nota adhæresceret, tàm fœda labes, & macula eo ipso cruore, quem scelus expressit, eluta est, & ne perpetuò tantorum criminum conscientia constricti teneremur, iis ipsis vinculis soluti sumus, quibus Christum oppressimus, ita vt cum illum captiuum raperemus ad Crucem, nobis tùm demùm restitueretur pristinæ glo-

gloria libertatis Quamobrem cum vna ex parte, tam ampla reis existat doloris seges, ac luctus, & funere immortalis, & supplicio innocentis; ex altera tam noua, atque insperata diuinæ lux benignitatis oborta sit, si rectè ratiocinari volumus, neque hoc qualecumque est vitæ nostræ curriculum, doloris spatio maius esse debebit; neque, si tanta benignitas laudanda sit, minor esse poterit æternitate laudatio. Quid enim est, si paulò attentius rei naturam introspicimus, animi labe, ac peccatorum peste, aut turpitudine fœdius, aut homini perniciosius, aut in Deum grauius, atque atrocius? Mirabar sæpenumerò, Pater Beatissime, tentata à Deo immortali in ipsis penè mundi incunabilis, quibus ista pestis enata est, varia, ac diuersa remedia; memoria tenebam vltrices flammas, dirasque terrarum eluuiones, vt cætera prætermittam: quærebam quidnam esset istud tàm graue, ac tantum malum, quod non nisi, aut extingui vndis, aut incendiis opprimi posset; cùm tamen nullam fieri adolescentis morbi remissionem viderem, in suspicionem veniebam, quàm graues essent hominum noxæ & flagitia, quæ & suppliciis maiora fierent, & caperent remediorum varietate incrementum. Verùm ista profectò, hanc tantam pestem, tàm latè serpentem, non solum non reprimere, ac sedare, sed ne inclusum quidem in illa virus, ac fœditatem aperire, atque oculis planè subiicere videbantur. Malum enim

istud, quantum est, auctori malum erat suo: sua hominem lues enecabat; & æquum erat, vt in eius perniciem capitis redundaret, vnde manarat. Nunc autem cum exhaustis tot suppliciis, tot medicaminibus remediisque consumptis, eò deuentum sit, vt auctor ipse bonorum omnium nostris malis opprimeretur, vt innocenti esset reorũ pœna subeũda; & quid amplius excogitari potest, humani generis flagitio, aut ad inquinamentum turpius, aut ad sæuitiam immanius, aut ad miseriarum omnium compendium cumulatius? Dicam apertè, & quantum potero voce contendam, vt vniuersus terrarũ orbis exaudiat; Hominum scelus Deum immortalem interfecit. Istud est in quo tanta insidet labes, ac fœditas, vt non præteritis illis cœlestium imbrium copiis obrui, sed purissimo tantum elui diuini sanguinis fonte potuerit. Istud est, in quo tàm altè impressa est, & inusta infamiæ nota, vt non deleri vltricibus flammis potuerit, sed tuæ tantùm, Christe Opt. Max. caritatis incendio consumi. Hæc ego cum intelligam, cum mecum ipse reputem, vel obiecta tantum lethalis vmbra peccati, non reformidem, non expauescam, non toto corpore atq; animo perhorrescam? etiamne in noua flagitia me ipse præcipitem? etiamne hanc ego funestam dexteram armabo, vt mea te rursum cruentet impietas? etiamne ferrum tuo adhuc quodammodo stillans sanguine, in tua iterum conuertam vi-

ſcera, vt recrudeſcant vulnera, vt dolores, ſi quid ad cumulum accedere poteſt, nouis doloribus augeantur? Quod ſi tantus eſſet ſtupor in mente, vt ne doloris quidē huius vim, acerbitatemq́; ſentiret, diuini tamē in nos amoris ardor, ac flāma omnem cordis emollire duritiē poſſet. Etenim nemini, credo, dubiū eſt, quin iniurias non vlciſci, qui poſſit, non magni tantum ſit animi, verum etiam clementiæ ſingularis. cum verò beneficii magnitudinem, eius cui benefeceris augeat improbitas, neceſſe eſt, vt tantum ſit in beneficio ponderis, quantum eſt in improbitate momenti. Cum igitur eò proruperit hominum inſania, vt effractis humani diuiniq́ue iuris repagulis, perditis, ac deſperatis rebus, contaminata terrarum facie, in cœlum etiam penetrarit, Deum in terras detraxerit, ad mortem compulerit, immaniſſime trucidarit; quantam putamus illius eſſe clementiam, ac bonitatem, qui hæc vidit, qui tulit, qui ſpontè, qui vltrò, qui libenter tot cruciatibus, ac tormentis, vt à nobis illa depelleret, caput obiecit, qui denique tā vberem malorum, & exitij materiam, in ſpem bonorum, ſalutisque conuertit? Magnas ego ſemper amotis eſſe vires, ac robur audiui, nihilq́ue eſſe in rebus humanis, ac diuinis potentius: nullaq́ tamen in re magis eius magnitudo perſpicitur, quàm in periculis læto ſubeundis animo, & forti perferendis. Amorē videlicet metitur labor; & amor ſibimet ipſe laboris nobile

pretium eſt; ita vt tum demùm triumphet in morte, cùm ſe viderit in pœna victorem. Quid igitur eſt, aut ludibrij ad contemptum, aut ignominiæ ad dedecus, aut tormenti ad dolorem, aut cruciatus ad necem, ad quod te non, Chriſte optime, mouerit pietas, voluntas erexerit, amor impulerit? Rapitur, Pater Beatiſſime, & conditor noſter, & cuſtos, inſtar fugitiui cuiuſpiam, à nocturnis furiarum ſatellitibus, quos ſolo vocis ictu, non modò de ſtatu corporis, verum etiam de mentis ſede deiecerat. Siſtitur ad Tribunal, vbi de ſupplicio antè quærebatur quàm de cauſa ſupplicij; vbi idem & accuſator, & iudex; vbi aduerſarij omnes, defenſor nullus, niſi fortè ipſa reo fuit pro ſummo patrocinio taciturnitas. quid enim reſponderet iis, qui cùm crimen in quæſtione nullum viderent, extorquere conabantur reſponſum pro crimine? cum vel ad primam emiſſam vocem, vultus ille, theatrum felicitatis, ſcelerat militis dexteræ ictum pertulerit, qui paulò antè impudentiſſimi admiſerat oſculum proditoris. Mox de alio, itur in aliud tribunal, vt quandoquidem deerat cauſa iudicibus, non deeſſent iudices cauſæ. Ecce tibi alter Sacerdos Caiphas, ſuo nequior ſocero gener, qui dùm ſe diuini defenſorem honoris, legumq; cuſtodem profitetur, Deum ipſum, tanquam diuinarum corruptorem legum, in iudicium vocat; ac tum demùm factus de Sacerdote iudex infamis, præclarum ſibi videtur æquitatis

ſuæ

ſuæ ſpectaculum præbere, ſi, dum innocentem lacerat, ſua ipſe veſtimenta diſcindat. Vt verò primùm in caput innocentis ſententiæ tempeſtas incubuit, quæ voces, quæ ludibria, Deus immortalis? quæ cruciamenta ſecuta ſunt: cum nocturna illa furiarum cohors, tamdiu conceptum odium, ac virus effudit, & tot annis incluſam rabiem vnicæ curriculo noctis euomuit? O noctem illam funeſtam, & luctuoſam, cùm facta eſt crudeliſſimis latronibus experiundi poteſtas, vtrum Dei patientia plus poſſet, an plus hominum poſſet audacia? Noctem excipit infauſtus dies, vt quam tenebræ ignominiam texerāt, lux ab improbis optata patefaceret: & ne qua detur Chriſto penè iam exanimato requies, ſcelerum principes illum ab ſe damnatum, iniquiſſimo Præſidi obiiciunt; vt quoniam ſuæ illos nequitiæ pudebat, præclarè ſuo conſultum honori putarent, ſi dùm ſcelus ipſi committerent, ſceleris nota in Præſide cerneretur: aut certè cum ſpecioſum quidpiam, ac magnum videretur, ſuam à Romano Præſide ratam haberi ſententiam, impunè liceret inſanire, auctoritate, & Præſidis, & Romani. Interim Præſes amentiſſimus, dùm ſanguine cruentat animum, manus aqua abluit, ne Iudæorum parricidio contaminetur: iſti verò prædones, dùm negant ſibi fas eſſe quemquam occidere, infamiam iudicij occultè in Præſidem deriuare conantur. Magnum profectò pro reo innocētiæ teſtimonium, in cu-

ius capitis iudicio omnes se videri volunt inno-
centes. Sed cum iudex non minùs ambitione
arderet, quàm accusatores inuidia, factum est,
vt innocentem accusarit inuidia, ambitio con-
demnarit. Quid ego expeditas hic virgas, quid
spoliatum illius corpus, qui primis quondam
parentibus, pudore ob nuditatem oppressis, in-
dumenta texuerat, quid flagella, ad mitigan-
dam furentium rabiem, à nefario Præside impe-
rata commemorem? Natabant diuino pauimen-
ta sanguine, cum ab illo, cuius animi magnitu-
do semper emergeret, in mediis ictibus, crepi-
tuq; plagarum, ne minimus quidem, aut præ
dolore gemitus erumperet, aut vox ad miseri-
cordiam implorandam audiretur; donec tantũ
est haustum cruoris, quantum satis esset ad corũ
immanitatem explendam, qui misereri maxi-
mum crimen putarent. Non enim, Christe opti-
me, quinquies quadragenas, vna minus, accepi-
sti; sed summum ne vnus quidem defuit ictus
ad numerum. Regium caput non auro præcin-
gitur, aut illuminatur gemmis, sed dumetis hor-
rentibus obruitur, & vsquequaque transfigitur:
vt nouum inuentum carnificũ crudelitatis glo-
riam afferret, & rei tormento ludibrium. Quod
verò tantum ingenij flumen, ac dicendi vber-
tas esse potest, quæ incredibilem Christi serua-
toris nostri patientiam, mansuetudinem, carita-
temque declaret; cum in summo illo eius silen-
tio, omnia parricidarum clamoribus circumso-

narent, cum ad necem poſceretur, cum agèretur in Crucem, cum in oculis barbarorum, in luce omnium gentium, ac nationum, inter latrones penderet è patibulo Deus; cum in mediis cruciatibus animam ageret, cum paterno retento fulmine, ipſis veniã parricidis deprecaretur, cum quidquid ſanguinis è præterita carnificina ſuperfuiſſet, effunderet, cùm denique toto ſpectante terrarum orbe, vitæ noſtræ & parens, & auctor extingueretur? vt non ſine cauſa ſol ipſe atratus oſtenderet turpe ſibi eſſe, vero extincto Sole, lucere; ac tantum indignata facinus, ſuis concuſſa ponderibus terra nutaret; quæ ſine dubio impios, & ſacrilegos repentino hiatu abſorbuiſſet, niſi ab eo, quem ſuſtentabat, parcere didiciſſet. quin etiam ſepulchra, ac monumenta patuerunt, vt teſtarentur, plùs ineſſe ſenſus in putidis cadaueribus, quàm in hominum animo pietatis. Hæc ſunt igitur egregia noſtræ nequitiæ ſpectacula, hæc argumenta improbitatis, hæc flagitiorum tragœdiæ: hæc contra diuinæ theatra patientiæ, pietatis notæ, ſigna ac monumenta caritatis. Hæc ſemper ante oculos verſentur, hæc hæreant animo, hæc menti defixa ſint: vt quoties de noſtrorum ſcelerum grauitate, ac de diuino in homines amore cogitamus, meminerimus per noſtrum ſcelus Deum mori potuiſſe, & eundem, pro ſumma in nos caritate, voluiſſe.

ORATIO NONA.

In funere Constantii Sarnani Cardinalis Romæ anno 1596.

MORS pene repentina Cōstantij Sarnani Cardinalis, eā in nos molestiā, de dolores transtulit, quibus ipse antè mortem, vel caruit, vel leuissimos tulit. Etsi enim (Cardinales amplissimi) accidere illi non potuit improuisus interitus, cui certa mors, maiori semper curæ esset, quàm incerta vita; cum tamen mortis eius nuncius, antè quodammodo allatus sit, quā aduersæ valetudinis rumor auditus, necesse est, vt eò grauiori pondere in nos incumbat tota simul doloris orta magnitudo. Et cum hæc vrbs, illius obitum prius lugere cogatur, quā pro eius valetudine vota facere potuerit, hinc fit, vt ille corporis ægritudine, nos eius vita indigni fuisse videamur. Quòd si vitæ cursus ad summam illum senectutem perduxisset, eius nobis occasus, etsi luctuosus, repentinus certe non fuisset, est enim confecta ætas, vel vitæ vmbra, vel mortis effigies, sed cum ille cursus annorum antè præcisus sit, quàm metam attingere potuerit, profectò tantùm nobis Constantij Sarnani morte, & lætitiæ, & boni ereptum videtur, quantum

illi

illi eſt de tàm præclara vita detractũ. Quis enim hoc præſtantiſſimo viro, per hoſce annos, omnibus hominum ordinibus, aut vtilior vixit, aut gratior; cum tanta in eo fuerit morum facilitas, tanta doctrina, vt qui doctrina paucos haberet pares, nullum haberet facilitate ſuperiorem. Iſthæc videlicet tàm pretioſa laudum ſemina, in iis, quibus educatus eſt locis, iam indè ab adoleſcentia iecerat, vt in matura ætate colligeret; in Conuentuali dico Franciſci ſanctiſſimi viri familia; in quam Sarnani, in quo natus eſt oppido, adſcribi voluit. Et ſi enim domi ſuæ & honeſtos admodùm, & locupletes, & pios parentes haberet, tamen Franciſci ductus exemplo, tàm ſapienter de rebus humanis iudicauit, vt ſe, nihil habendo, ſecurum diuitẽ mallet, quam inter opes vereri ſolicitam egeſtatem, & cum intelligeret ſanguinis nobilitatem, aut à fortuna ortam, aut improbis eſſe communem; leue, ac ſtultũ exiſtimauit, animi dignitate neglecta, eam ſectari gloriã, cuius aut arbitra plerumque Fortuna, aut particeps eſſet improbitas. Quamobrem in hoc præclaro Religioſorum hominum ordine, ita ætatem penè naſcentem diuinis inſtitutis aluit, creſcentem corroborauit; vt in perfecta, nihil illi deeſſet, aut virium quibus aliis benignè prodeſſet, aut ornamenti, quo prudenter ſibimet ipſe prouideret. Cum tamen cognoſceret, eam ſe vitæ rationem aggreſſum, qua ea, quæ dixi, præſtari non poſſent, niſi ad

morum

morum sanctitatem, doctrinæ splendor accederet; in bonarum artium, atque omni scientiæ genere, Perusiæ præsertim, ac Panormi, tantum breui effecit, quantum potuit, & diligentia inuestigare, & studio persequi, & ingenij felicitate comprehendere. Qui cum interea nihil de seuera illa, atque intenta religiosæ disciplinę cura remitteret, apertè ostendit, literarum studia, vt stulto parum prosint, obesse non posse sapiēti. Et quisquam igitur dubitabit, quin ad maturitatē perducta illius ætas, copiosissimos pietatis, & doctrinæ fructus effuderit, è cuius adolescentiæ flore tàm certa futuræ spes vbertatis extiterit? Cuinam enim è tot eximiis eius æqualibus, & condiscipulis, à Felice Peretto, quem postea Sixtum Quintum Pontificem Maximum vidimus, eò tempore Conuentualis ordinis Vicario Apostolico, cuinam, inquam, Philosophi, ac Theologi Doctoris insigne, aut minus cupienti est, aut magis merito datum? cùm non ita multò post, tum in hac Vrbe, in hoc ipso florenti Gymnasio, tum Neapoli, studiorum Rector factus, tanta cùm laude eam personam sustinuerit, vt eius temporis studiosi, se neque talem vnquàm Gymnasii Præfectum sperasse dicerent, neque optasse meliorem. Iam verò illius in sacris concionibus fructuosæ operæ, atque in hominum salute procuranda incredibili studio, quæ poterit par oratio inueniri? Quid ego primúm in hoc genere admirer? an

eius in docendis auditoribus perſpicuitatem, an ardorem in commouendis, an potius in tot, ac tam variis itineribus ob hanc cauſam ſuſceptis, conſtantiam? Quod oppidum Campaniæ, quò ſe non intulerit? quæ vrbs Hetruriæ, in qua non fuerit? quæ regio Italiæ, quam non Chriſtianæ pietatis excitandæ gratia penetarit? qui Neapolim adiit; Senas, ac Florentiam venit, Vicentiam, Venetias, Bononiam, Ferrariam, ceteraſq; ciuitates quaplurimas obiit: quæ quidem ab illo, non fucatis aurium lenociniis, occulta ſcilicet animorum peſte, demulcebantur, ſed virtutis exemplo, ſed diuini numinis impetu, ac ſpiritu plena oratione concitabantur. Intelligebat enim, ſi quis in magno cætu, ac multitudine hominū res diuinas declamatorio ſermone celebraret, & quæreret ſuas, eiuſmodi hominem, vna eademque ementita oratione, id agere, vt Dei gloriam vendat, & emat ſuam: quorum alterum impiæ prorſus eſt mentis, alterum extremæ dementiæ. Sed vt ad ea, quibus potiſſimum Conſtantius Sarnanus excelluit, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia reuertamur, cùm vir ille integerrimus, hunc ſibi finem propoſitum haberet, vt tùm demùm erga Deum ſe non ingratum fore putaret, ſi quæ ab illo bona copioſè hauſerat, in alios largiter effunderet, Patauij, per decēnium, Philoſophiæ, ac Theologiæ partes omnes tàm piè, pro moribus, tàm doctè, pro veritate, profeſſus eſt, vt toti illi ce-

i celeberrimæ Academiæ, & ad rerum abditarum intelligentiam, lumen, & ad diuinum amorem, facem prætulerit. Vbi tamen quidnam, intereà, quorundam opera perpessus sit, sinite me, obsecro, præterire, ne vel, non sine aliquorum offensione, tanti viri parentiam laudare, vel huic ipsi tàm insigni patientiæ iniuriam facere videar: cum & illos facti postmodùm pœnituerit; & hic iam mortuus, eius rei memoriam excitari minime velit, quam viuus sepultam esse voluerit. Quo fit vt non minorem tunc in perferenda iniuria patientiam ostenderit, quam post, in condonanda, lenitatem. Verum enimuerò cum ab Illustrissimo Cardinali Riario, summi Pontificis Perusiæ tum Legato, ex illa agitatione Patauina, Perusiam, tanquam in tranquillum portum, euocatus esset; ex ijs, quæ postea contigerunt, manifestum fuit, illos fluctus tempestatum, non in cuiusquam perniciem, sed in huius salutem, & gloriam redundasse. Etenim cùm in illa quoque clarissima Academia Perusina, aliquot annis Theologiam, magna cum laude, docuisset, Cardinalis verò de Monte alto, ob egregias animi dotes, in summum Pontificatum diuino consilio euectus esset; factum est, vt cũ omnes de tanto Sixti Quinti, honore certatim gratulari conarentur, ipse Pontifex de Sarnani sui virtute honoranda cogitaret. Quamobrem illum Perusia Romam acciuit, ne diutius tanti viri pie-

tas & doctrina ijs angustiis teneretur, quam nec ipsa quodammodò Romanæ Curiæ amplitudo capere posset. Sed quid existimatis illi tum in mentem venisse? singularem hominis modestiam, quæso, cognoscite. Simplex ille atque apertus animus cœpit, non sine aliquo timore, dubitare, nunquid in vita gessisset ingratum summo Pontifici, propter quod tum ab illo vocaretur. Illa cogitatione nonnihil suspensus, innocentia comite Romam venit, se ad pedes Pontificis abiicit: ecce illum tibi repentè Cardinalem. mirari omnes rei, non dico nouitatem, sed celeritatem. scio me in re trita omnium sermone versari: ita vt insignis ille honoris gradus, per eos dies, nulli vnquàm vel magis digno, vel minùs cogitanti delatus esse diceretur. Ipse verò cum præ ceteris obstupesceret primò, quid circa se ageretur, tandem animaduertit, se id nec sperare potuisse, nec timere debuisse. Cum tamen eandem semper animi constantiã, ac modestiã retineret, facièdocuit, sapientem virum, nequaquàm essehonoris magnitudine, sed pretio virtutis æstimandũ: neque se sui dissimilem esse oportere, quem neque humanæ gloriæ adeptio beare posset, neque carentia miserũ reddere. Quid enim laudabilius esse potest, quàm eius ætatis, atque auctoritatis virum, in religioso Cœnobio, inter sui ordinis socios, priuatam vitam, communi penè victu, ad extremum vsq; spiritum ducere? Non erat, videlicet,

licet, quòd sedem mutaret, cui semper idem animus esset; aut qui suas olim ædes reliquisset, iam quæreret alienas. Purpura verò splendet in omni loco, neque vllis vnquàm tenebris obscurari potest; modò virtutem, vnde lucem trahit, perpetuam habeat adiunctam sociam. Et miramur quòd à Sixto quinto admirabili prouidentia Pontifice, paulò post, quàm & Cardinalis, & Episcopus Vercellensis creatus est, tàm grauibus præficeretur Christianæ Reipublicæ negotiis, cuius tanta esset prudentia in domesticis rebus administrandis, tanta in omnium animi partium moderatione constantia? Ex iis fuit Illustrissimis Cardinalibus, qui sanctæ, vt vocant, Inquisitionis officio præsunt. ecquis est, qui eius incredibilem diligentiam, iudicij acrimoniam, ac sapientiam, in eo exercendo munere, aut laudare pro dignitate possit, aut commemorare pro veritate? Examini, & causis, quæ spectant ad Episcopos, & Regulares, & ipse quoque cum reliquis præfuit. Ecquid est, quod ea in re scientiam, integritatemque desideret, quod non in illo fuerit omni ex parte perfectum? Sed quid ego huius præstantissimi viri laudes, in ecclesiasticis viuorum hominum causis, vel cognoscendis, vel componendis, oratione persequor; cum tanta in illo fuerit, vel in mortuis conciliandis felicitas? Quid enim Scoti cum Sancto Thoma pacis fœdera, Constantio Sarnano arbitro, constituta? equidem quid ea de re-

lij sentiant nescio: hoc certè constat, si id efficere potuit, fuisse admirabilis ingenii, si solùm voluit, eximiæ caritatis: quamquàm reuera quid demum præstiterit, non admodum refert. cum enim duo illa præclara Christiani orbis lumina, in iis, quæ ad fidei Catholicæ dogmata pertinent, planè conueniant: ceteris in rebus, quoniam eorum diuersæ sententiæ acuunt ingenia plurimorum, minùs fortasse obfuit eorum dissidium, quàm concordia profuisset. Sed quoniam huius operis, quod in lucem edidit, mentionem feci, quid attinet reliqua eius volumina recensere? ecquid est in illis quod non & ad doctrinam firmum, & ad pietatem efficax reperiatur? Sed profectò in iis laboribus, in quibus eius exultauit industria, nihil vnquàm tàm gratum, atque omnibus optabile fuit, quàm quod Aureolum Franciscanum, acerrimo ingenio virũ, tamdiu apud Capreolum exulantem, & quasi captiuum, Bibliothecæ Vaticanæ beneficio, in suam familiam reuocauit, & libertati, aliqua saltem ex parte, restituit. Non enim dubito, quin Aureolus eo sit animo, vt se apud Sarnanum malit, quàm apud Capreolum inueniri. cũ etiam videre videar eiusdem Aureoli tres reliquos libros magno in luctu, quòd miseri vereantur ne Illustrissimi huius Cardinalis morte difficilem in posterum habeant è Vaticana custodia emergendi potestatem. atque ita Aureolum pudeat, quod solo capite in lucem elato,

reli-

reliquum corpus trahere non potuerit. Quantam igitur Constantii Sarnani gloriam esse oportet, cuius merita, ex illo ingenii, ac pietatis fonte profecta, nõ solùm posteritati transmissa sint, verum etiam in præterita secula redundarint? Iam verò quoniam expectare videmini, vt de illa, quæ in eo, præter cæteras virtutes, emituit, singulari morũ suauitate, aliqua dicã, quoniã res est, quam vos, nõ modò summis Principibus, verumetiam infimis hominibus perspectam esse cognoscitis, nolo illam vel frustra in oratione mea ponere, vel minorem dicendo reddere: ne id facere videar, quod nec temporis breuitati seruiat, nec prudentem deceat oratorem. Tanta enim fuit in illo facilitas, vt cum plurimi suarum omnium, aut postulationum, aut sermonum familiarium domiciliũ in eius auribus collocauissent, tàm facilis omni tempore ad illum accessus, quam difficilis recessus esse videretur, neque illum quisquam fama cognosceret, qui videre cuperet, nemo videret, quin vehementer amaret. Hinc tantæ humanitati coniuncta in egenos homines liberalitas, multo magis illum sine dubio commendauit. Et enim amor alliciat, tamen ita facti sunt homines, vt se velint beneficio deuinciri. Etsi quamquam in opibus pauca illi, non necessitas partita esset, sed voluntas obtulisset; tamen Ecclesiastica bona sibi cum reliquis pauperibus communia esse debere intelligebat, quò mihi magis admiran-

dus vi

dus videtur, quod in tam exiguis fortunis, vt cetera prætermittam, quindecim aureorum millia in Franciscano Cœnobio Sarnani ædificando consumpserit. Sed vt orationem meam, ad finem properantem, ea laude concludam, qua nec maiori labore acquiri vlla potest, nec suauiore cura conseruari, vere hoc de Constantio Sarnano Cardinali affirmare possum, ea fuisse vitæ sanctitate, & castimonia, vt animum illum, quem innocentem Deo immortali, ac Sancto Francisco in pueritia consecrauerat, vsque ad vitæ finem purum, integrùmque seruauerit. Atque ita cum iustorum hominum mors, non solum sit laborum requies, verumetiam cœlestium nuncia præmiorum, minime mirum videri debet, quòd is, quem tàm piè vixisse scimus, & mori sine dolore visus sit, & cum voluptate nuncium futuræ salutis excipere. Non enim purpuræ splendor mentem morientis illustrat; neque tutam famulorum greges, aut turba clientium reddit; neque sublimitas honoris humani, ad æternam euehit gloriam: sed lux virtutis, sed nihil sibi conscij solitudo animi, sed honorificæ vmbræ contemptus, & gloriæ despicientia fugientis. Ista, ista sunt (Cardinales Illustrissimi) per quę & viuere honorificum est, & mori gloriosum. Sed qui concursus Deus immortalis! illo ipso die, ac postridie eiusdem diei, quem postremum vidit, ad has ædes omnium ordinum fuit? quæ præsentium lacrymæ?

qui mœror absentium? quæ huius religiosi Cœ
nobii lamentationes? cùm præsertim illum an
tè mortuum viderent, quàm possent de vitæ pe
riculo suspicari, & tàm inopinato casu ita flu
ctuarent animo, vt nescirent, vtrum potiùs mor
tuum lugerent, an ita repentè sublatum. Se
me potissimum optimæ illius familiæ squalo
exanimat, & ille ipse dolor, qui nouam mih
nunc ad dicendum materiam subiicit, loquen
di eripit facultatem: cum illum iam, non
amissum dominum, sed vt parentem humani
mum deflere cogantur. At vel vocem salte
aliquam morientis excipere potuissent, post
mæ testem voluntatis? O inanes hominum spe
ò fortunæ infida conditio, quæ tot annorum ex
pectationem momento temporis eludit? sed vi
delicet, credibile est Constantium Sarnanum e
ius mentis fuisse, vt qui ineunte ætate, omnium
possessionum iura spontè reliquisset; intereu
te, omnem prorsus abiiceret testandi volunta
Solam videre videor eius patriam, semetipsa
in tanto mœrore solantem, quòd carissimo ill
pignore, hoc est nunquam contaminato corpo
re, quo tamdiu viuo orbata est, se quamprimù
ita fruituram sperat, vt perpetua tanti viri m
moria, posteris ambiguum sit futurum, vtru
ille Sarnani nomen à patria traxerit, an pot
patriæ dederit. Nam quod ad animum spect
ille nimirum corporis spoliis tandem abiect
exultans, ac triumphans, iam in suam patria

vt piè credimus, euolauit; eo impetu, & cupiditatis ardore, vt diuturnæ ægritudinis quodammodò impatiens, corpus ipsum, ægritudinemque fefellerit; & nutantis vitæ moram, optata æternitas occuparit. Quo fit, vt cum sanctorū virorum vita morti comparetur, mors verò illorum, certus sit ad vitam ingressus; profectò vir iste præstantissimus dici debeat, non quidem subita morte interiisse, sed post diuturnam mortem, repente vixisse.

ORATIO DECIMA.

Habita coram Serenissimo Principe Rainutio Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duce.

In auspiciis nouæ doctrinarum omnium vniuersitatis ab illo instauratæ Parmæ, anno 1600.

De concordia armorum, & bonarum artium.

SÆPE mirari soleo, Princeps Serenissime, Oratorum non paucorum institutum, quorum alii pro armis contra literarum studia, alij pro litera-

litterarum ſtudijs contra arma vehementi oratione contendunt; ac tùm demum ſuæ ſe putant eloquentiæ magnum ſpecimen præbuiſſe, hi quidē ſi demonſtrent in rerum humanarum diuinarùmque cognitione plùs ineſſe otij quàm laudis; illi verò ſi perſuadeant in re militari plùs ineſſe periculi quàm dignitatis. Enimuerò iſtorum hominum declamatorios ſermones irritos ego ſemper, atque inanes eſſe iudicaui; ſeu dicendi ſtudio id faciant, ſeu arbitrandi voluntate. his enim in rebus agitandis, aut gloriam quærunt, aut veritatem: in altero ſeſe vanitas orationis oſtentat, in altero iudicij error & ſententiæ fluctuatio. vtrumuis ſpectent, vtrinque miſerandi, quòd neque ſibi gloriam emere poſſint, neque alijs vendere veritatem. Ita enim hi litterarum patrocinium arripiunt, vt exiſtiment ab illis contra bellicam artem bellum perpetuum eſſe ſuſceptum: ita illi pro militia dicunt, vt in hoſtium numero litterarum ſtudia habenda eſſe arbitrentur: ita vtrique ſapientiam, atque arma in certamen vocant, ac ſi arma inter & ſapientiam aliquod eſſet odium capitale, atque vbi militares copiæ ſigna collocauerint, nulla eſſe poſsit in caſtris ſapientiæ ſtatio conſtituta. Quo fit vt dum ſapientiam armis ſpoliant, illam armare, & contra arma ad bellum laceſſere videantur; ita vt vel nolentes, pugnare cogant illam, quam eſſe volunt certaminum inimicam. Eſt igitur iſtiuſmodi ſententia, ſi

tia, si ad multitudinis auram, leuis; si ad veritatem, fracta & fallaciæ plena; si ad exercitationem, in officinis Rhetorum vtcùmque toleranda. Quamobrem illud mihi hodierna est actione demonstrandum, rerum humanarum diuinarumque cognitionem maximum esse & in bello robur, & in pace firmamentum; atque adeò virtutem bellicam non modò à bonis artibus alienam non esse, verumetiam cum illis magno necessitudinis vinculo coniunctam esse oportere. Quo fit vt ea pars nobilitatis, quam ex officio in armis ad patriæ tuendam salutem paratam esse oportet, tùm demùm perfectissima sit, si non minùs animos doctrinarum lux, quam corpora armorum fulgor illustret. Atque hoc ipsum est, quod me qui alias, vt ingenuè fatear, in hunc locum vix, nisi coactus, ascendere potuissem, non parùm excitat & impellit, quòd coràm eo Principe dico, quem omnes fatentur esse præstantissimo parenti virtute bellica parem, omnis amatorem doctrinæ, humanitate facillimum, historiarum scientem, studiosum antiquitatis, insignem prudentia, sapientia singularem. Quare si me quispiam vestrum (viri illustrissimi) aliquot iam abhinc annis alibi priùs, & nunc in huius vrbis nouo, ac celeberrimo doctrinarum omnium Gymnasio Theologiæ professorē, præter consuetudinē dicentē miratur; miretur potius talem, ac tantū Principem humanissimè audientem. Imò verò

illud

illud dolendum eſt, quòd cum omnium primus in his fauſtis auſpiciis loqui publicè debeam, tantum afferre non poſſim, aut ornatus ad eloquentiam, aut facundiæ ad delectationẽ, aut vbertatis ad copiam, aut ponderis ad rerum momenta, aut grauitatis ad dignitatem, quin multò maiora optimi Principis & beneficia poſcant, & aures expectent, & amplitudo mereatur. Etſi enim ineunte adoleſcentia mea, eloquentiæ iactis ſeminibus, aliquid ad naturam acceſſit induſtriæ, cum tamen ingenium, & anguſtum, & non admodum ferax, ad longè diuerſam, Philoſophiæ ſcilicet, ac Theologiæ culturam toto reliquo tempore traductum ſit, & diſtractum, tenera illa dicendi vis, tũ primũ herbeſcẽs ita elanguit, & extincta eſt, vt cũ gemmare inciperet, primi floſculi repente decuſſi ſint. vt minime mirandum ſit, quòd ſpem fructus, & maturitatis abiecerit, quæ non habuerit efflorefcendi poteſtatem. quo fit vt quoties ad aliorum, aut voluntatem, aut imperium dicendum mihi eſt, neque tacere ſine illorum offenſione poſſim, neque loqui ſine meo pudore. hanc tamen dicendi inſolentiam, tanti Principis præſentia, & pudorem debiti ratio ſuperabit. Quem me cumque quis volet habeat, licet, ſiue Philoſophum, ac Theologum non peritiſſimum, ſiue ineptum oratorem. Par pretium mihi eſt contemptus, ac laudis; vtrumque in lucro repono. Ego enim, nec laudem ſequor, nec con-

temptum fugio. hic enim mihi non obest, & illa non prodest plurimum. Sed ista mittamus. etsi enim ad rem meam fortasse faciunt, non tamen faciunt ad eorum, qui me audiunt, voluptatem. Vt igitur ad propositum dicendi argumentum veniamus, duo sunt tempora, è quibus veluti fontibus tota hæc manabit oratio, belli alterum, alterum pacis. & quamquam nullus est ita mentis impos, qui pacem bello præferendam esse non putet, demus tamen parem esse, quod absit, pacis, ac belli conditionem, eligat quis è duobus, quod lubet magis; aio & clara voce pronuncio, rerum humanarum diuinarumque scientiam, summum, & belli, & pacis esse præsidium. Nunc de bello primùm, tùm demùm de pace dicemus. Poetæ veteres multa præclara tegere fabularum inuolucris documēta voluerunt. Vulcanum memorant Ioui aliquando graui capitis dolore laboranti impacta securi caput infregisse, è noua aluo nouum repente fœtum extitisse, armatam videlicet sapientiam, & quæ vixdum nata esset, iam clypeo munitam, iam galea conspicuam, iam hasta minitantem. Itaque non duas, quas tamen vnico partu grauidum illud cerebrum veluti gemellas æquè facilè potuisset effundere, sed vnam tantùm eandemque, & armorum Præsidem Palladem esse putauerunt, & scientiæ Deam. Dicam, quod mihi nunc suggerit animus, Postquam Principes iusta indignatione

commoti, de bello inferendo curas diù multùmque, non sine capitis fatigatione susceperint, tùm demùm integer, ac felix, ad doloris leuamentum, consiliorum partus existet, si neque arma inanima, neque nudam atque inermem sapientiam ad bellum eduxerint. Cùm enim in vtroque, & fortuna insit, & temeritas: necesse est, vt in prælijs, aut temeritas succumbat, aut fortuna triumphet. Prodeat igitur oportet armata sapientia, & sese Palladis instar in bellum inferat egregius Imperator. At contra constitue tibi ante oculos militem radiantē in armis, cristato vertice caput quatientē, flagrantibus oculis, trucē aspectu, imperatoria trutina verba librantē, grauem incessu, sustinentem, ac ponderantē passus, cui fulguret gladius, cui clypeus flammeū solis orbem lacessat, qui denique priùs hostē expectatione, quam aspectu feriat, priùs præsentia, quàm telo vulneret: fac igitur glorioso militi ferrum, & clypeus detrahatur, spolietur armis, nudetur omni ornatu bellico: si sit bardus, si stolidus, si omnis expers scientiæ, quem illum esse dicet Alexander magnus? quo nomine tale monstrū appellandū putabunt Scipio, Lucullus, & Sylla? quo in numero habebunt Pompeius, ac Cæsar? quo in loco stipitem hunc statuent Alcibiades, Agesilaus, Themistocles, Epaminondas, atque alij Græcorum Romanorumq; Imperatores, quorum nomen, ac memoriam non solùm virtus propè diuina in bellis,
verumc-

verumetiam multiplex doctrina, & sapientiæ magnitudo æternitati consecrauit? At enim & firmis est viribus, & præstanti corpore, & cursus pernicitate valet, & acie oculorum, & vitam spondet longissimam. O præclaram scilicet commendationem, & præconium singulare? quasi verò his in rebus bruta animantia non posint suo iure pro laude contendere. neque enim ille cursu Tygres, Lynces oculis, vitæ diuturnitate Cornices, Leones fortitudine, firmitate, & robore Elephantos anteibit. & horum quidem hac in parte melior cõditio est, & tutela paratior, quòd ad sui defensionem nullum illis est externum præsidium comparandum: sunt enim armis antè instructa, quàm in lucem edita, & pugnare antè didicerunt, quam viuere; ita vt illis maternus vterus non tàm fuerit hospitium conceptis, quàm præliaturis armamẽtarium. At verò nudum atque inermem hominem natura formauit, non minùs felici sorte quã prouidentia singulari; vt qui se videret extra se omni ex parte subsidijs inanem, & vacuũ munimentis, ad sese tandẽ aliquando confugeret, & ad mentis arcem, atque animi propugnaculũ penetraret. Hæc nimirùm sedes sapientiæ, hic consiliorũ Senatus, hic fons rerum præclarè gerendarũ, hæc armorum vita, materia victoriarũ, triumphorum seges, seminariũ gloriç, honorũ principatus Sed sua militi arma reddamus; sit in armis Imperator; ducat exercitus; copias

explicet; excurrat in prœliis, sit fulmen in acie; frænet populos; nutu regat; flectat imperio, sternat legiones, bacchetur in cædibus, vincat, triumphet, exultet, orbem terrarum habeat angustum victoriis, exiguum virtuti, breuem animo, indignum maiestate. errant profectò vehementer, qui tantum decus, tàm magnificos honores, tàm sublimem gloriam, exulante à castris sapientia, profuga virtute; relegata rerum omnium scientia, aut sperare debere, aut consequi se posse suspicantur. nisi fortè armatæ sapientiæ, atque inuictæ fortitudini opponere volunt legiones improbitatis, manipulos stultitiæ, castra fortunæ, insignia temeritatis. Virtute duce, & comite fortuna, inquit Marcus Tullius: placet. etsi enim fortunam virtus non sequitur, non tamen fugit comitantem. sed fortuna duce, & comite stultitia res aggredi, & gere re, opus fortunæ est, & monumentum stultitiæ. Bellum iniustum, ac nefarium infausta plerumque initia, exitus semper teterrimos habet. Bellum iustum, ac necessarium, si malè administretur, eas non raròtrahit, quas arcere debuit ruinas. Quamobrem è rerum in primis diuinarum cognitione, ea præsertim, quæ sacris literis continetur, cùm deinde è sacris, & profanis historiis, & prudentissimorum scriptorum documentis petendum est, quibusnam, quo tempore, quam ob causam, quibus artibus atq; adiumentis bellum gerendum esse videatur: quonā modo

do tùm aduersa, tùm prospera fortuna ferri pari constantia possit. Variis fortunæ vulneribus percuti, humanum est: sed quemadmodum fluctus ad saxum, sic ad animum firmum allisa fortuna frangitur. Miseret me Christianorum hominum, cum veterum monumenta gentium, atque annales antiquitatis memoria repeto. Caius Marius Syram vetulam ariolam, lectica honorificè vectam, secum semper in comitatu habuit; qua inaudita facinus aliquod insigne aggredi sibi esse perniciosum putabat. an plùs in vetula insaniæ? an plùs in Imperatore superstitionis? nihil refert: sint ambo pares; dummodò illud constet, tantùm esse in multis sacrarum literarum, ac sapientum hominum contemptum, vt me malim (si fas esset, quod absit) cum ariola delirantem, cum Imperatore superstitiosum, quàm despicatissimis quibusdam tabulis suffragantem, quæ sacra oracula, rerumque diuinarum scientiam politicæ administrationi aut inutilem, aut parum consentaneam, aut etiam contrariam esse sceleratissimè decreuerunt. Sertorius iustiore bello dignissimus Imperator, Cerua cicure alba, quam sibi à Diana donatam esse confinxerat, Hispanorum animos sapientiæ opinione deuicit, ac rapuit; quòd se ab illa Cerua in somnis arcana omnia rerumque admirabilium scientiam doceri magnificè prædicaret. Quantas igitur esse oportet veræ sapientiæ vires, cum vel ipsa ementita species,

& ſimulatio in prælijs miracula edat, & in ſomno imperatorio vigilans ambitio fortiſſimorũ hoſtium prudentiam eludat, & frangat audaciam? Libenter audirem Ciceronem in medijs ambitionum fluctibus vociferantem, niſi nimia eius iactatio nauſeam moueret; Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Parcendum eſt homini nouo Arpinati, qui cum plures habeat importunæ gloriationis, quàm eloquentiæ imitatores, alterius officio in ſe laudando fungi voluit, quòd poſt ſe habiturus non eſſet perfectum à quo laudari poſſet oratorem. Ergò turbulentiſſimis coniurationis Catilinariæ temporibus, cùm incluſa peſtis in venis, ac viſceribus ciuium ſerperet ad interitum reipublicæ, vir bonus nihil ſe ſine libris Sybillinis, atque Aruſpicum reſponſis, molitum eſſe profitetur, omnia ſe Iouis afflatu feciſſe; ſe in Deorum concilio Romanum Conſulem ſediſſe: nihil ad Patres Conſcriptos in Curiam detuliſſe, quod non prius Deorum ſenatuſconſulto præſcriptum Romanus Conſul accepiſſet. quas ob res ait velle ſui monumenta Conſulatus in ciuium mentibus condi, ſe mutis lapidibus non delectari, petere ſe monumentum memoriæ ſempiternæ. Hominis iſtius ambitio cum ſapientiæ cupiditate certabat: cum tamen res cœleſtes (quamquam ſuperſtitiosè) in mediis turbinibus ſpectauerit. ita eius prudentia, & conſilio reſpublica peſtem illam euomuit, vt omnes ambitio-

bitionum iactationes, ac fluctus in Romani imperii salutem incolumitatemque redundarint. Itaque Consulis admiranda sapientiæ cupiditas est, & ambitiosa superstitio non probanda. Iam verò Alexandro Macedonum regi, quæ poterit par oratio inueniri? qui Aristandrum Sacrorũ Præsidem habuit lateri semper affixum, qui se beatiorẽ prædicauit Aristotele magistro, quàm terrarum orbis imperio? Quid vnquam talis, ac tantus Imperator, non dicam pacis, qua frui noluit, sed belli tempore, quo carere non potuit, quid, inquam, oculis vidit, quod non priùs mente perspexerit? in quas regiones arma victricia intulit, quas non antè animo peragrarit? quæ sit ora, quos sinus maris, quas cœli plagas, quod genus animantum, rerumq; omnium quas hæc immensitas coercet, quas non ille studio inuestigarit, ingenio comprehenderit, cognitione concluserit? O nimis breuem terrarum ambitum? O angustos cœli complexus, victoriarum scilicet limites, obiectos armorum terminos, & semper mutili fines imperij? non enim PLVS VLTRA potuit bellicus ardor excurrere, non PLVS VLTRA viam sibi ad certamina Alexandri potentia strauit. illa, illa vis sapientiæ fuit, quæ illum eò extulit, quò procedere militaris pompa non potuit, & quò perrumpere tela non possunt, mentis acies penetrauit. ita enim cœlestium orbium naturam, ac motus Aristotele doctore percepit, ita syde-

rum cursum, conuersionemq; notauit, ita æthereis ignibus, & elementorum præliis spectator interfuit, vt iam despecta terrarũ ditione, astris dominari sapiens Imperator, & pugnarum omnium arbiter, dare iura naturæ videretur; cum vno eodemque tempore ferro nationes, ingenio cœlum, naturamque subigeret, & suo cognomento maior, dissimili victoria, pari gloria de rerum vniuersitate triumpharet. cui cum præpropera mors medium ætatis cursum præciderit, vitæ breuitas magnitudini gloriæ compendium fuit. Quamquàm fortasse id factum est, vt cum Alexandro Farnesio ætatis annos diuideret, atque illum non minus nominis, ac virtutis, quàm reliquæ vitæ hæredem relinqueret; quæ omnia in Rainutium Farnesium eiusque posteros pari felicitatis cursu transfunderentur. fuit igitur, fuit illud tempus, quo cum pugnare necessitas, & philosophari pretiosa libertas cogeret, armata consilio dextera pugnandi necessitatem æquitate redemit, sapientia vindicauit. Vos vos appello, Pompei, ac Cæsar, gentium omnium domitores, Romani decora imperij, & lumina maiestatis. quos rerum gestarum annales non legistis, quæ monumenta non vidistis, quos oratores non audistis, quos Græciæ Sapientes non coluistis, quas non vrbes in gratiam celeberrimorum Poetarum, ac Philosophorum libertate donastis? ita vt omnes existimarent eo tempore non minùs ad doctrina-

rum

rum comparationem, quàm ad Asiaticas expeditiones Romanum Iani templum esse patefactum. O illa tempora beata, cum in cæca bellorum nube, & caligine multiplicis scientiæ fulgor emicaret; cum in densa telorum grandine sapientiæ fulmen in hostes irrumperet; cum in medio armorum fragore oratorum, ac philosophorum dominæ voces contra tonarent. Non enim GræcorumRomanorumq́ue ingenia gladiis hebetari, sed acui, neque extingui bellicis ignibus, sed accendi literarum studia videbantur. neque conuiuia ebriorum clamoribus, aut sycophantarum calumniis personabant; sed suauissimis sapientum colloquiis ita condiebantur, vt non tàm ad corporis, quàm ad animi pastum atque oblectationem instructæ dapes esse viderentur. Quo fit, vt minimè mirandum sit, quod Alexander ille magnus quoties decumberet, Homerũ, ac pugionẽ ad caput haberet, cũ enim gladium corporis, Homerũ animi præsidiũ esse crederet; nec tutã sibi sine gladio, nec honestam sine Homero quietem esse arbitrabatur. Quid enim tàm necessariũ est ingenuis ac nobilibus viris, qui militiæ studẽt; aut tàm iucundũ, ac laude dignũ, quã bellorũ omniũ historias, & cõmentaria cùm Græca, tùm Latina euoluere; præclara volumina, quæ ad vitã, & mores pertinent, in manibus habere; quæ fugienda, quæ prosequenda sunt homini, & meditari animo, & memoria retinere? Nostrum est experiri pauca,

& aber-

& aberrare plurimùm. Hominum ætas breuis est, & vitæ finis præcurrit initium. Quamobrem maximum operæ pretium est vnius libelli beneficio quotquot antè nos fuerunt homines ad nos accersere, & breui lectione secula omnia præterita in vnius horæ curriculum compellere; tot Principum virorum experientias esse tuas; tot reges atque Imperatores tibi sudasse, te alienis erroribus dirigi, periculo sapere, casibus erigi, laboribus exerceri. Sed quò me tandem bellorum æstus abripuit? quid tamdiù sumus in armis, dulcissimum pacis nomen obliti? canere receptui oportet, & orationem meam incitatam retardare, ne fortè certaminum insolens ita debilitetur, vt optata tranquillitate frui cum voluptate non possit. Concedamus igitur, ne diutius pugnare cogamur, id pro quo nonnulli audent contendere, literarum studiis cum arte bellica nihil esse commune, arceri à militia rerum omnium scientiam oportere, Poetas, oratores, ac sapientes ad bellum habiles esse non posse, imò verò, si volunt, demus etiam illis milites non posse esse sapientes; est enim contrariorum opposita ratio. si enim sapientiæ studiosus miles esse non potest, sequitur nec militem esse posse sapientem. quorum vtrumque, & si non solùm absurdissimum est, verumetiam, & militi, & sapienti maximè iniuriosum, fingamus tamen nunc tale commentum simulactum

aliquod præ se ferre veritatis. quidtùm postea? cum pax, depulsa bellorum caligine, ac tenebris, lucem patriæ serenitatemque retulerit, miles gloriose, quid tum hominibus agēdum censes? quid nobis in otio negotii dabis? tùnc semper hominum aures cædium commemoratione, oculos gladiorum spectaculo cruentabis? quousque tandem ferrum, ac flammam meditabere? quamdiu sanguine ebrius vrbium incendia eructabis? an ignoras pacem finem esse belli, bellum oē pacis causa esse susceptum? ergòne sua erunt bello subsidia, sua paci munimenta rapientur? ergòne per ciuium stragem, per hostiū cadauera, populationes agrorum, ciuitatum euersiones, pax tanto labore quæsita est, vt homines inertia languescant, torpescant desidia, turpi otio corrumpantur? quid causæ est cur suum cuique ius non tribuitur? cur non ratio seruatur æquitatis? si bellorum ruinis sepulta sunt literarum studia, pacis instauratione reuiuiscant; si tacent inter arma, in pace loquantur; si lugent in bello, in victoria triumphent. Quid enim tàm necessarium est benè conditæ, & cōstitutæ ciuitati, quàm otium, occultam pestem, magnum malum domesticum, familiarem hostem, arcere procul mœnibus, atque ita proscribere, vt illi sit perpetuò igni & aqua interdictum? Pacem consequi difficile est, tueri & conseruare arduum. nutriendum sudore est, quod sanguine peperisti. Fac enim barbatulos istos, & imberbes

bes esse planè otiosos: continuò videas nouos Clodios, Catilinas, Cethegos, Lentulos, cum sica volitare per vrbem, circumcursare vias, in plateis cum histrionibus, citharœdis, lenonibus, parasitis, & nescio quibus aliis bambalionibus insanire: calamistratos, cerussatos, oculis oculos irritare mulierum, luminum telis prædari virginũ animos, castra nocturna ponere expugnandæ castitati, vno eodemque tempore insidiari, & vxorum pudicitię, & coniugũ vitæ, honestis adolescentibus præferre ad libidinem facem, ad audaciam ferrum, exercere odia, serere discordias, concitare multitudinem, complere familias luctu, domos ruinis, vrbem cædibus (hei mihi! vel sola commemoratione cohorresco) decoctos, & decoctores, ære alieno obrutos, è quo enatare viui non possint; videas in conuiuiis floribus redimitos, expleta epulis fame, laniare, ac discerpere famem alienam: videas non iam inundatos Turcarum, aut hæreticorum sanguine campos, sed mero natantia pauimenta; non iam excepta ab hostibus, sed ab impudicis mulierculis (pudet dicere) aduerso pectore vulnera, notas libidinum, vestigia fœditatis. Hiccine igitur eximius ille pacis & otij fructus? hæccine requies, & solatium tam diu afflictæ reipublicæ, & post diuturna bella respirare cupientis? nullis externorum hostium turbinibus, nullis armorum procellis, nulla bellorum iactatione, tranquillo, & paca-

to mari, turpissimum naufragium facere? At verò contra, quid tàm honestum est, ac tàm iucundum, aut etiam vtile, quietis pacatisque temporibus, quàm musarum choris interesse, sedere in cœtu Poetarum, animare saxa dulcedine versus, Leones, Tygres, nemora, rupes ciere, & rapere cantu, reuocare, & conuertere præcipitantia flumina blanditie carminis, tenere cœtus hominum orationis suauitate, aures delinire dicendo, emollire ferreos, ac feroces animos, firmare languentes, & fractos; tantum antecellere ceteris hominibus mente, & lingua, quantum homines brutis animantibus præstāt? Stat Orator in mediis populis tanquàm animorum arbiter, & non solùm mitibus, verumetiam barbaris gentibus extorquet arma de manibus; & easdem mutato, cum lubet, armat arbitrio. Cognatam habet oratoria faculras eam, quæ in duas diuisa partes, vix, aut nunquàm potuit vnum sibi nomen aptè sortiri, siue igitur Logicā, siue Dialecticam, siue Organum nuncupandam putes, ego illam appellare soleo theatrum ingenij Aristotelici, operum miraculum, & totius subtilitatis acumen. Quid illa pars philosophiæ, quæ in moribus posita est, quantæ est amplitudinis, quantæ dignitatis? Hominis officia nosse, & exequi, istud viuere hominem est. Officiorū ignorantem partes tàm crediderim viuere humana vita, quàm sapere belluina. Et quisquam dubitabit quin pernecessaria sit morū cognitio,

cum

cum in eius adeptione ferè omnes Græciæ philosophi, teste Laertio, sua studia, vigilias, operã laboremque consumpserint? Altera pars philosophiæ, quæ in pulcherrimo, ac magnificentissimo naturæ theatro triplicem sibi sedem, Mathematicæ scilicet, Physicæ, & Metaphysicæ collocauit, cum eiusmodi sit, vt eius propè diuina excellentia laudem omnem superet, & oblectatio fidem; profectò, nec oblectatio argumenta fidei, nec excellentia laudem desiderat oratoris. Nam quid attinet Iuris vtriusque Prudentiæ, ac Medicinæ admirabilem scientiam orationis grauitate celebrare? hæ sunt facultates videlicet, in quibus, & necessitas, & opulentia, & gloria de principatu contendunt; hæc regina corporum, illa animarum dominatrix; hæc viuere, illa rectè viuere docet, ac præcipit. Et quamquàm præclaræ artes se ipsis contentæ, neque diuitias affectãt, neque honores aucupantur; illud tamen Iuris vtriusque peritorum, Medicorumque virtuti, ac dignitati debitũ semper fuit, vt illos diuitiæ, & honor, vel fugientes sequatur, vel quærentibus obuius fiat. quo maior huic nobilissimæ Ciuitati lætandi materia enascitur, quòd nũc tandẽ Serenifs. Dux, pro ea qua præditus est sapientia, excellentissimos è tota Italia huius vtriusque facultatis professores euocarit. Iam verò expectare, nisi fallor, vidẽtur aliqui, quos submurmurare subindè sentio, vt doctrinarum omnium domina prodeat,

& ſeſe diuina ſpectanctam præbeat imperatrix Theologia. ſed illa in ſuo receſſu abdito, & ſacrarii penetralibus hodierna die ſeſe continet. diuinis enim expleta honoribus faſtidit humanos. Quamobrem ſe mauult, & admiratione coli, & ſilentio prædicari: eſt enim admiratio præconium gloriæ, & ſilentium fidus interpres maieſtatis. Quid enim aliud eſt Theologia, niſi lux mentis ad ea, quæ vim ingenii limitesque naturæ tranſcendunt, fidei catholicæ ope, ac beneficio, contemplanda myſteria; flammarum administra, ad beatiſſimos, & caſtiſſimos amorum ardores; artium, & facultatum omnium Princeps, dux & magiſtra philoſophiæ; ingeniorum ſidus, & gubernatrix; columen fidei; propugnaculum veritatis? Illa eſt, quæ philoſophiam erigit, atque attollit, eandemque cum fide Catholica tàm arcto fœdere iungit, vt vnus idemque ſit vtriuſque conſenſus, vna voluntas, vnum idemque iudicium. Nullus enim veſtrũ opinor, ignorat, Auditores, impiã atque à ſacroſanctis Cõciliis anathemate percuſſam fuiſſe illorum ſententiam, qui fidem Catholicam variis in rebus veræ philoſophiæ contrariam eſſe dixerunt, atque adeò aliqua in diuina fide vera eſſe, quæ in perfecta philoſophia falſa ſint, impudentiſſimè docuerunt. Sed, vt modò dicere cœperam, tàm ſublimis ſcientiæ partes naturamque deſcribere, neque eſt hodierni huius inſtituti mei, neq; præfiniti tẽporis, neque eius,

quæ

quæ in me perexigua eſt, oratoriæ facultatis,
Non enim vniuſcuiuſque ſcientiæ laudes ſingil-
latim cōmemorandas hac oratione ſuſcepi: quot
enim illæ ſunt, tot poſtulant diſtincta tempora,
tot præſtantiores deſiderant otatores. Loquen-
di, & tacendi par eſt copia. nullā hæc habent in-
terceptam, aut loci diſtantiam, aut tēporis mo-
ram. ſi loqui ſine periculo non potes, tacere po-
tes ſine timore. mercedem habebis vitati peri-
culi, & depulſi timoris: vt nec te locutū eſſe pœ-
niteat, nec te pudeat tacuiſſe. Quare aliorū erit
officiū præceptorū, per hoſce dies, & ornatè, &
copiosè, & grauiter, vt ſolent, eam commenda-
re doctrinam, quam profitentur. Vt igitur ad
rem redeamus; qualem & quantum eſſe opor-
tet virum, omnibus quas hactenus ſignificaui,
& diſciplinis imbutum, & doctrinis inſtru-
ctum, & ſapientiæ laude perfectum? Arbor eſt
in India, Princeps Sereniſſime, quæ non mi-
nus habet nouitatis ad miraculum, quàm fi-
dei ad veritatem. hæc hominibus cibum, po-
tumque largiter fundit ad alimenta; hæc ma-
teriam texendis veſtibus è ſinu pandit, & ex-
plicat; hæc in arma, & tela repente conuer-
ſa, & pugnare diſcit, & vincere; hæc (mi-
rum dictu) nauim inſtructam oneratamq; par-
turit; ex illa enim tabulæ, pix, reſina, anten-
næ, vela, rudentes, cæteraque omnia, quæ
ad nauigia coagmentanda neceſſaria ſunt, tam
quàm è panſpermia quadam eruuntur. Sta-

attoni

attonito in mari felix arbor, ſuis ipſa onuſta mercibus, & ſeſe defert, ac vehit; fluctuat conſtantior in vndis, quàm terræ defixa; viuere diſcit vbi naſci non potuit; terrarum oras, quas negligit, circumſpicit; & maris, cuius dominatum non quærit, præteruolat immenſitatem: ſiue procellis pelagus æſtuat, ac ferueſcat, ſeu æqualis vnda molli ventorum lambente flatu requieſcat, illa neque turbines horret, neque mouetur luxuriantis auræ blandimentis. Hanc igitur arborem, quem alium eſſe diceret, niſi ſapientem Bias ille fortiſſimus, qui omnia ſua ſecum ſe portare reſpondit, cum è medio direptæ vrbis incendio nudus euaderet? Hæc ſunt igitur (viri Illuſtriſſimi) (nimirum ſi cum pietate Chriſtiana, & morum probitate coniuncta ſint) hæc ſunt, inquam, vt initio dixi, belli robora, & pacis firmamenta; hoc armorum decus, & gloria togæ; gladiorũ acies, & legum poteſtas; hi victoriarum fructus, & pompa triumphorum; hæ diadematum gemmæ, & ſceptrorum oculi; hæc proſperæ fortunæ iucunditas, & aduerſæ ſolatium; & hæc denique altrix adoleſcentiæ, magiſtra iuuentutis, ætatis perfectæ ſocia, beata gaudia ſenectutis. Diſſimulare nunc animi angorem non poſſum; dolor ingens mihi pectus effodit. me finem dicendi facere conantem, continere non poſſum; erumpat oportet quod tumet intus, ac torquet malum. Sunt enim in varijs orbis ter-

ræ vrbibus tùm nobiles, tùm honeſto loco nati adoleſcentes, iuueneſque non pauci, qui ſi in annuo cenſu teruncium habeant, quo vitam ſuſtentare vtcumque poſſint, literarum ſtudio vacare ſuperuacaneum, aut etiam, quod ſine lacrymis vix dici poteſt, turpe ſibi eſſe arbitrantur. Stultum eſt, inquiunt, ſine cauſa laborem mercari: inopiæ ſuſpicio ingenuo, & locupleti contumelia eſt: doctrinarum poſſeſſio hæreditas eſt, ac patrimonium egentium: indulgendũ genio, & fruendum bonis, dum tibi vitæ benigni arrident ſoles, & rerum omnium copia, dulci lenocinio ſinum aperit molliſſimæ voluptati. hæc ſunt pacis emolumenta, hi ſerenæ lucis amores, hi fructus vberes pacatorum temporum, viuere ſine curis, & mori ſine dolore. Quid vobis videtur, viri nobiliſſimi? quid reſpondere poterimus cincinnatis pupulis, in roſa lactentibus? nimirum ſi repudiata Minerua, caſtitatis, ac ſcientiæ parente, Veneris alumni eſſe malũt, intelligant ſe Vulcanum fabrum ferrarium, Veneris coniugem pro magiſtro, quamdiu viuent, habituros; cum quo die, noctuque in mediis ignibus, nunquàm domito libidinis ferro, incredibili pœna torqueantur. qui quoniam ſapientiæ theſauros, mendiculorum opes, non ſine graui nobilium, eorundemque locupletiſſimorum, ac doctiſſimorum virorum iniuria eſſe dictitant, meminerint opulenti iſti deſidiæ atque inertiæ patroni, ſe poſt mortem apud in-

feros

feros æternis ſupplicijs cum Dite, ſeu Plutone parente mactandos; quem Poetæ veteres, & diuitiarum ſapientia carentium, & inferorum Deum eſſe finxerunt, non minus ingenioſè ad fabulas, quàm grauiter ad documenta. Neque ſe pecuniarum magnitudine iactent, cum vel ipſi grammaticuli doceant, pecunias olim à pecudibus eſſe nominatas. Induant igitur Gymnaſiorum hoſtes aurea vellera, & abiectis Sapientiæ ornamentis decantatos in barbaram Colchidem ad ſeſe aduocent Argonautas. Rapiant etiam venuſtuli Parides, ne ſint prorſus otioſi, ſuas Menelais Helenas, vt iiſdem quibus ardent libidinibus familias inflamment, patriãque funeſtent. Inferant etiam ſeſe maturè, ſi volunt, atque abdant in Ægyptiæ Cleopatræ ſepulchrum, ne orbi terrarrum eadem contingant, quæ olim Romanæ reipublicæ, cum vno eodemqne tempore Romanum imperium bellorum ciuilium incēdio, Antonij animus amore Cleopatræ deflagrauit. Pudet me hominem, & Sacerdotem, & Religioſi ordinis, coram ſapientiſſimo Principe, & optimis viris, & nobiliſſimis iuuenibus diſcendi deſiderio ardentibus, orationem meam implere Ethnicorum exemplis, & fabulis poetarum. Etſi enim grauiſſimi, & ſanctiſsimi Patres, inter quos Baſilius & Hieronymus, non ſolum Ethnicorum hominum exempla ad aliquorum animos permouendos magnam vim habere teſtantur, verum

etiam ijs ipſis interdum vtuntur; ſacras tamen hiſtorias ad hoc adhibere, magis eſt, & mei muneris, & propenſæ voluntatis. Sed quid agerem? ſi Gedeonem, Ioſue, Dauidem, & Machabæos, ſi Auguſtinum, Baſilium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Gregorium, atque alios innumerabiles omnium ætatum, ordinum, nationum, nobiliſſimos, & ſapientiſſimos viros ijs, de quibus loquimur, Cœnobitis obijcias, nimirum ad Cœnobitas, & vetularum ſuperſtitionem pertinere talia reſpondebunt. Si Homeri fabellam concinnè, ac lepidè narres, ſi quidpiam de antiquis Heroibus inſonuerit, continuò arrigent aures; & vbi aliquod veſtigium voluptatis olfecerint, probè, & luculenter adhinnient. Cur non igitur Ethnicorum hominum, quorum diuitias nobilitatemq; admirantur, doctrinam, ac virtutes imitantur? nam vnde, quæſo, noua hæc argumentandi formula emerſit (Lautè prouiſum eſt corpori, igitur conſulere animo fatuum eſt.) certè id neque dixit, neque ſenſit Epicurus. ille enim animum, & doctrinis, & virtutibus illuminatum eſſe, corpus verò delicijs, ac voluptatibus diffluere putauit oportere. quomodo hæc cohæreant, nihil ad nos; viderit Epicurus. at vero iſti non ſecus, ac ſi videri quodammodo vellent Epicuri ſemihæredes, diuiſo patrimonio voluptatis hæreditatem arripiunt, ac retinent; virtutis verò, ac ſcientiæ poſſeſſionem aliis æquo animo cedunt, ne litigioſi eſſe videantur.

deantur. Proh Deum immortalem? ſua igitur erit annona corpori, animus indigna fame peribit? Animalium ſtragi venter infame ſepulchrum eſt, ad exitium ſtomachi, & vitæ ruinam. Terræ, & maria vni anguſta ſunt gulæ; pacem eum illis ſola ſotietas, & nauſea facit. Interea infelix animus in iſta bonorum copia, egeſtate premitur, & eſuriem inter epulas deplorat ſuam. Aedium amplitudo in camporum immenſitatem excurrit; & inſana libido terras faſtidiens, iactis in mare molibus, ſua piſcibus domicilia occupat. Lacunaria intermicatibus gemmarium ſideribus aurum vndique vomunt, ad inuidia pauimenti collucentis: at mēs, hominis Princeps, ſuis excluſa ſedibus, profuga peregrinatur in alienis. Veſtium luxuries in vermium viſceribus quæritur: littoribus non antè cognitis, nec auditis, nomen, ac viam inuenere Conchilia, vel nouitate cara, vel ſola raritate pretioſa: fluctuant toto corpore Tyrij amictus, mundant in aulis periſtromata murice ebria: animus verò in luto, ac cœno relinquitur, vt ſuæ pulchritudinis ignarus, turpiſſimam aſſueſcat perferre ſeruitutem. Heu quod crimen admiſit, cuius culpæ reus accuſatur, propter qua in annuo cenſu partem ſibi aliquam vindicare non poſſit? O grauem mulctam indemnati animi, ò ſupplicium atrox innocentis? Animi dotes, præcone amentia, ſub haſta venduntur, arbitrio obuiæ libidinis; corporis verò, & fortu-

næ bona, ſignata, & ſancta conduntur. Hucciné omnia reciderunt, vt hominem eſſe pudeat? vt in iudicium natura vocetur, quod ingenium homini effinxerit, mentem animumque largita ſit? Non eſt igitur, non eſt, iuuenes nobiliſſimi (quamquam hæc mea cohortatio ad vos minimè ſpectat, quos ego ſcio ſapientiæ ſtudio eſſe maximè accenſos) non eſt, inquam, diſcere ſuperuacaneum, nec ſapere ignominioſum. imò verò nihil ſapere, ſumma ignominia eſt; & nihil diſcere velle, pertinax nequitia; & ſapientiæ amatoribus illudere, malitia non ferenda. Salomō regū omniū quot ſunt, fuerūt, erūt, nobiliſſimus atque opulētiſſimus, poſthabita nobilitate, contemptis opibus, perfectam à Deo ſapientiam efflagitauit. at iſti bonarum artium hoſtes, dummodo nummorum aliquid, alicundè, aliquo modo, ab aliquibus corradi poſſit, dummodo è balthco pendeat gladius, & textilis ventus per humeros erret, & reiectus in altum capillus quercum quærat, Gymnaſijs valere iuſſis, ſuam habere ſinunt ſapientiam Salomoni. Quin etiam vereor, ne Deo ipſi infinitam illam ſcientiam ac ſapientiam exprobrent. Non enim ſeritur, nec metitur Deo, non illi langueſcit annoſum in amphoris vinum; neque dormit lana in ſucco Tyrio; neque illi fatigantur maria, neque terræ vterus violatur; non illi coquinæ ardent, neque ſtrepunt coquorum exercitus; non illi ſudant balſamo Arabes, neque aromata co-

ta coguntur in nubem; non illi florum ſtellulis gemmaſcit ager; neque auicularum rumpuntur guttura, ad murmur molliter labentis aquæ. ipſe videlicet effuſis in nos his omnibus, atq; aliis bonis, ſibi ſapientiam reſeruauit; neque illum rerum ſcientem eſſe pudet, neque diſplicet eſſe ſapientem. Sed hæc iſti ne de nomine quidem norunt: ſunt enim à ſenſu, cui ſoli vacant, nimium ſeiuncta. Profanis, vt dixi, antiquorum delectantur exemplis, ad aurium lenocinium, non ad fructum animorum; cum nolint eorum quemquam, quos admirantur, imitari. Paucos Græcorum, Romanorumque nobilium, ac diuitum in annalibus reperient, quorum doctrina nobilitatem, ac diuitias non æquarit. Cæſar pacata Republica, cùm Aſtrologiæ beneficio leges anni temporibus deſcriberet, terrarum orbe ſubacto, ſolem & ſidera coegit ſuis parere decretis; vt non terræ ſolũ, verumetiam cœli eſſe videretur imperator. Alexander magnus ſi poſſet non eſſe qui eſſet, ſe Cynicum dixit eſſe malle Diogenem; Achillem non minùs Iliade conſtituta, quàm Ilio euerſo, eſſe nominis immortalitate donandum. Sapientis animum Plato viuum quoddam diuinitatis putauit eſſe ſimulacrum. Sapientem ait alter, neſcio quis, aut ſedere in concilio Deorum hominem, aut eſſe veluti quendam inter homines Deum: nihil eſſe videlicet, ſeu domi, ſeu foris, ſeu belli tempore, ſeu pacis, vbi ſuum non habeat rerum ſcientia lo-

 tialo-

tia locum, sapientia principatum: à stulto, & prorsus indocto idem iugum ferri; vtrumq; nulli esse vsui nisi trahendæ ignominiæ. At contra, seu te capit vtilitas, seu te allectat honestas, sapiētem vtiliter, atque honestè prodesse omnibus posse; nihil, si nolit, obesse posse sapienti. Nolo in oratione mea ponere, quæ de Diuidis apud Gallos, Magis apud Chaldæos, & Aegyptios, Gymnosophistis denique apud Scythas vulgò circumferuntur. cùm enim hæc notissima sint omnibus, & finem dicendi facere tandem oporteat, certè si prudentiæ ratio habenda est, ac téporis, talia præterire, & tempus cogit, & iubet prudentia. Quamquam quid opus est vetera commemorare, cum recentibus, ac domesticis abeundemus exemplis? Quis enim est adeò abiectæ atque ignauæ mentis, quem non cerenissimi Ducis Rainutij Farnesij, singularis in studia literarum amor alliciat? quem non èiusdem eximia sapientia, & prouidentia vehementer impellat? qui hanc clarissimam vrbem non minùs contra hostes domesticos, nouo Gymnasij propugnaculo, quam contra externos, validis mœnibus, atque arce firmissima sibi esse muniendam putauit? vt iam vrbs Parmensis, non minus Mineruæ sapiētis, quā bellatricis Parma dici posse videatur. Viderit tamen hæc Ciuitas (Princeps Serenissime) viderint alij omnes, quotquot tuo isto felici principatu fruuntur, ac viuunt, quid de tuis erga se meritis sentiant;

Colle-

Collegiū quidem Parmenſe Societatis Ieſu, & ipſa Societas vniũerſa, tantùm tibi, ac familiæ tuæ debet, quantū ſoluendo nec eſt, nec eſſe poteſt. Noſtræ facultatis inopia, in debiti ſolutione, copioſæ beneficentiæ veſtræ præconium eſt. Debitum enim æquare nunquam poſſe, ingens pretium debiti eſt; & beata beneficii redemptio, ſi nunquam ſatis ſit, quod ſubindè rependitur. Meritorum ſcilicet largitas creſcit debitoris anguſtiis. Tanta verò, ac tam multa ſunt tua in noſtram Societatem merita, vt neq; numerari præ multitudine, nec æſtimari præ magnitudine poſſint. O felicē errorem, ò ſcopulos benè obuios, ſi dum in tuorum in nos beneficiorum pelago decurrere tentat, naufragium faciat oratio mea? vita quædam eſt in tali interitu; ſic obrui enatare eſt. Quamquam neſcio vtra maior ſit, an benignitas, qua nos debitis imples, an magnanimitas, qua nunquàm exigis debita. Hæc nimirum vera laus eſt, largiri omnia, & nihil repetere. Si quid tamen voces, quas paupertas non eripit, ſi quid ſpiritus, qui ſolus homini in ſumma inopia pro poſſeſſione relictus eſt, poteſt, nos, quantū æternitas ſeculorum dabit, tantum tibi agemus gratiarum. Parùm eſt hoc quidem: ſed parùm poſſe, & multùm debere, debiti magnitudinem oſtendit, laudem non eripit debitori. Romanorum proprium ſemper fuit, & vincere, & victis ignoſcere, illud fortitudinis eſt, hoc hu-

manitatis ; ita vt ſic præſtet vinci, quàm alios vincere. Viuet, viuet iſta tua dextera, non minùs pace quàm bello ſpectabilis, atque hanc præclaram Academiam à ſe conditam amplificatamque ſeruabit. Quamobrem tibi, ac tuæ Sereniſſimæ coniugi proſpera omnia, felicia, fauſta à Deo immortali precamur. faciat te Deus non minus beatum liberis, quàm parente felicem. Non eſt incertum omen, noua ſidera clariſſima in Sereniſſimo Parmenſi cœlo benignè collucent. Naſcentur noua lilia fœcundo germine, quæ ignara interitus, æternitatem natiuo vigore ſuperabunt. Magna vis eſt in pulchritudine, in odore ſuauitas: illa cœlum & terras pulchritudine rapient, & odore perfundent. Neſcio quid diuinum ſedet in lilijs; cœleſte ſemper aliquid ſpirant; ſiue flaua ſint, ſiue cœrulea, vtrorumque & decor allicit, & paſcit amœnitas: ego verò in alieno ſolo dum viuo, natale non obliuiſcor. Patere igitur, Princeps Sereniſſime, atque optime, vt inter tua lilia, ſub iſtis pulcherrimis ſideribus noui & vberes oriantur doctrinarum omnium fructus, qui tibi aliquando magna tua cum voluptate offerantur. Et quoniã hactenus demonſtrare conatus ſum, quantas rerum humanarum diuinarumq; ſcientia vires habeat & pace, & bello; ò quàm admirabile ſpectaculum erit te duce, tuis auſpiciis, tua virtute, prouidentia, liberalitate, ſapientiam intueri, & bello armatã, & pace togatam.

ORA-

ORATIO VNDECIMA.

DE SANCTISSIMO Eucharistiæ Sacramento.

Habita in nouo Parmensi Gymnasio, coram Serenissimo Principe Rainutio Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duce.

QVOCVMQVE oculos hodierna luce conuerto, noua sese mihi obijciunt vniuersa; nouum Gymnasiũ, nouus auditorum cœtus, noui magistri. Vna est sibi constans, ac vetus in tanta nouitate Serenissimæ Farnesiæ familiæ magnificentia, vt licet omnes propè homines nouo beneficiorum genere semper afficiat, nihil tamen vnquam sibi noui fecisse videatur. Perenne est, ac sui semper simile quicquid ex illa est; & cum iamdiu solidam inuenerit, de omnibus benè merendo, gloriam, quidquid vsquequaq; in varios hominũ gradus ex illa bonorum influit, ex vno eodemque inexhausto veteris beneficentiæ fonte dimanat. Adulationi obnoxium esse nõ potest quidquid de te, Princeps Serenissime, & de nomine Farnesiano dicitur. humile potius ac vestris indignum est meritis, quidquid afferri

dicendo poteſt. Tam ſublimis enim eſt, ac tam longè lateq; diffuſus in omni laudum, ac virtutū genere veſtræ familiæ ſplēdor, & maieſtas, vt cū parùm id ſit, quod cogitatur de vobis, admiratio locum ferè omnem occupet, inuidia exiguum habeat, aſſentatio nullum. Quo mihi exiſtit hodierna die in præfando difficultas, quòd cum oratoris perſonam minimè ſuſtineam, ſed magiſtri; nec magiſtri partes tueor, nec munere fungor oratoris. Dum enim ad ea, quæ Theologum ſpectāt, oratoris meę curſum dirigo, neſcio, quæ me aura à veſtra ſingulari humanitate profecta, ita alio conuertit atq; impellit, vt in tam ancipiti fluctuatione, neque eò tendere poſſim quò debeo, neque deflectere quo cupio. Sed quoniam præter cæteras virtutes tuas eximias, (Princeps optime) ea in te ſemper excelluit, vt te laude dignum malles, quàm laudari; iſtud etiam in me peculiare beneficium collatum nunc eſſe arbitrabor, ſi omnes intelligant me de te dicere maximè voluiſſe, & minimè potuiſſe. Quamquam profectò tu qui tuis abundas laudibus, non indiges alienis. & verò etiam hæ ſedes, hoc Gymnaſium, hoc quantū eſt in noſtram Societatem, & in omnes ſapientiæ amatores abs te collatū beneficij, ſatis tuam ſingularem pietatē, ac ſapientiam in perpetuum prædicabunt. Bonū, ac felix omen. fauſta omnia ſperanda ſunt, tàm bono, ac liberali Principe, in tam nobili, ac beneuola ciuitate. Quod enim ad nos attinet, illud polli-

ceri possumus futurum, vt licet noster omnis labor minor sit meritis vestris minor voluntate nostra, ille quidem certè par ingenio, si quod in nobis est, par facultati nostræ, par viribus esse iudicetur. Multũ est in beneficio ponderis, in amore momenti: dabimus operã indigni ne simus amore beneficioque & Principis, & Ciuitatis. Sed vt ad meipsum redeã, & quod mearũ est partiũ, si fieri potest, aggrediar; cùm alibi superiores alias S. Thomæ quæstiones pertractarim, & nunc sequatur, vt hic de Sacramentis, primò quidem vniuersè, ac generatim, tùm deinceps de singulis singillatim, Deo iuuante, agere debeã, hodierna verò dies cuidam quasi prolusioni, pro veteri more, dicata sit; quid præfari potero, appositè pro Sacramẽtorũ cõmendatione, vtiliter pro fructib. grauiter pro maiestate? an ab omnib. exordiar, an ab vno? vni obstat aliorũ ius, aliorũ iuri tẽporis breuitas, vtriq; parti dicentis infantia. Res eloquentiam poscit, æqualitatem Iustitia, Prudentia breuitatẽ. Sed quoniam cùm pręstari omnia non possunt, attẽdere oportet, quid fieri minùs incõmodè possit; profectò cũ reliqua omnia Sacramenta ad vnũ illud excelletissimũ, ac planè diuinũ Eucharistiæ mysteriũ, tãquã ad finẽ dirigãtur; æquũ est, vt hoc proæmiũ qualecumque est, Eucharistiæ Sacramento omnium præstantissimo consecretur. Verum enim verò graue mihi negotiũ est, & labor singularis; siue signi continentis miraculum spectes, siue illius

quicontinetur charitatem. Certat alterum cum altero, vt nescias in hoc Sacramento, quid admirere magis, an eius auctoris potentiam, an amorē. Hic enim ardet felici quasi nubecula inclusus amor: hic sedet præpotentis maiestas. Et quāuis vnū in locū vix conuenire soleant maiestas, & amor; hic tamē inter se ita cohærēt, vt alterius benignitas, nihil de alterius imminuat dignitate. Latent illa quidē, sed suo fiūt integumēto clariora. nisi enim ita, vt sunt, abdita essent, profectò neque tāta esse crederetur amoris vehementia, neque tanta potentiæ magnitudo. Nam habitare cum hominibus, illis epulo esse, vnum è multis animum conflare, non posset iste talis amor, nisi lateret; latere non posset, nisi tanta esset potentiæ vis, quæ & amoris voluntati obsequeretur, & non officeret amantis maiestati. Amor igitur suasit hoc opus, potestas effecit, tam insigne, tam inauditum, vt cùm alia omnia, quæ Deus condidit, illius vnde manant virtutem, ac præsentiam apertè demonstrent, hoc nouum miraculum eum ipsum à quo profectum est, possit abscondere. Quo fit vt tanta dicentem minus iam meæ me pudeat infantiæ, quod sperem fore, vt is quem latere ita delectat, eò facilius in orationis meæ tenebris delitescat. Loqui enim vna ex parte conantem, & ex altera tacere volentem, ita me hinc ille cogit amor, inde terret maiestas, vt neque tacere sine violentia possim, neque loqui sine timore.

Nam,

Nam, vt modo dicebam, quid excogitari potest, aut ad Dei potentiæ admirationem efficax, aut ad eius in homines caritatis commendationem singulare, quod non in hoc sacrosancto Mysterio concludatur? Tria sunt, quæ in eo considerari potissimum debent; Sacramentum tantùm, Res & Sacramentum, & Res tantùm Sacramenti. Primum, est signum illud sensibus patens; alterum, est Christi corpus; tertium denique, fructus & dona. Iam vos ipsi tacitè hæc singula perpendite, si potestis (Viri illustrissimi) est enim sua silentio merces, si, quod dicentis orationem fugit, id in animum auditoris incurrat. non quòd existimem ab vllo reputari posse omnia: sed vt animus vester, dum in medio conatu fractus, rei magnitudinem non intelligit, excuset oratorem. Stant attonita Accidentia illa, nulli adnixa substantiæ, diuino solum firma imperio; vt signa rebus respondeant, Sacramenta secretis. Quemadmodum enim humana Christi natura suo priuata supposito, Verbi diuini subsistit hypostasi, sic par fuit, vt eo Sacramenti quasi amictu tegeretur, qui nulli adhærescens, sola Dei ope consisteret. Præclarum sanè ad pietatem documentum: adminicula non patitur Deus aliena, qui rebus interdum adimit vires, vt tribuat suas. Beata commutatio, cum diuina virtute indueris, spoliaris tua. Quid quod sub his speciebus, vt Theologorum more loquar, nul-

la ineſt panis, ac vini ſubſtantia, & tamen ita ſenſus afficitur, ac ſi vero pane vinoq; reficeretur? Et quiſquam dubitabit quin propriè, Chriſti corpore verè præſenti paſcantur animi, cum vel corpora noſtra, dum falluntur, dum eluduntur, ipſa panis, ac vini abſentia nutriantur? Hæc videlicet amoris diuini ſuauitas eſt, qui ſuas animo delicias quodammodo præbere non poteſt, quin præbeat, & corpori ſuas. O felices iactura veſtra Sacramenti ſpecies, quandoquidem pro vini, & panis interitu, Chriſtus ita in vobis ſeſe obſidem ſtatuit, vt non ſolum ſuppleat ferculum pretioſius, verum etiam illud ipſum, quod panis, ac vinum, ſi adeſſent, efficerent, diuina virtus efficiat. Quo fit, vt quamuis hoc Sacramentum ſolius animi propriè ſit pabulum; in eam tamen dignitatem ſenſus euectus ſit, vt ad huius magnificentiſſimi Conuiuij communionem adſcitus eſſe videatur. Et ſanè cum nos animo, & corpore compoſiti ſimus, maximè congruū videbatur, vt cœleſte Myſterium, & occulta ſenſibus virtute conſtaret, & ſigno ſenſui manifeſto. Iam verò quoniam de ſolo Sacramento dixi, qui de re, & Sacramento commemorem? Huc adeſte beatarum agmina mentium, vos præſertim, quæ ceteris ſublimiores propioribus numinis diuini flammis ardetis, huc adeſte; & id quod humana facultate non poſſumus, ſi poteſtis veſtra, celebratote. Non eſt, non eſt, quod

quod hic expanſis alis veſtros vultus obtegatis, niueus iſte quem videtis Orbiculus, ſatis erit integumento, ad obiectos tantorum ardores radiorum. O totius diuinæ bonitatis exigua ſumma? O breue compendiū poteſtatis? Deum immortalem, infinitum, dominum gloriæ, vitę Imperatorem, cui vniuerſitatis amplitudo anguſtiæ, Deum, inquam, verum atque hominem tantula ſpecie contineri? Faceſſant mihi nunc neſcio cuius Atlantis fabulæ cœlum humero ſuſtinentis. Quale tibi ſpectaculum videtur, cum Sacerdos gemino tantum, & extremo digito, cœli terrarumque opificem ſuſtollit, demittit, tractat, ori admouet, complectitur, oſculatur? Perge porrò; non minùs eſt quod ſubiiciam. Deus Opt. Max. ſolo verbo ſemel omnia procreauit: at ſacerdos Dei miniſter, ſolis etiā verbis, quoties lubet, ex pane Chriſti corpus, & ex vino ſanguinē cōficit: an nō tibi videtur quāto rebus omnibus maior eſt Chriſtus, qui Deus & Homo eſt, tanto plùs eſſe Chriſti corpus, & ſanguinem diuina virtute conficere, quàm omnia condidiſſe? Sed quid tàm ſingulare quàm Chriſti corpus integrum, ac perfectum Euchariſtiæ quantitati ſubeſſe, nulli tamen illius parti dimenſione reſpondere? Eſt, ſi placet, totus Chriſtus in toto; eſt, ſi mauis, in qualibet parte; vt te neque pars inopem reddat, neque totum ditiorem; nec de toto ſolicitum te eſſe oporteat, cum poſſideas in parte totum. Iſte eſt, ni-

ſi fal-

si fallor, diuini ludus quidem amoris. Latet nimirum cœlestis sponsus, tui amore ita captus, vt quamcunque in partem Sacramenti oculos couertas, tuo aspectu carere non possit, vtcumq; Sacramentum diuidas, locum habeat vndè ex occulto sua tela iaculetur, vndè te vulneret, vndè te rapiat in amorem sui. Quin etiam nunquàm relicta patris dextera, inaudito miraculo vnus idemque pluribus terrarum locis ad Sacerdotis arbitrium adest, ne se à te subtrahere quodammodo possit, neque tu illum amatorem fugere posse videaris: vt mirum non sit quòd tua causà mori voluerit, qui non vult sine te viuere. Sed vt ad rem Sacramenti postremò veniamus, tantæ sunt hujus Conuiuij deliciæ ad voluptatem, ad hilaritatem iucunditas, fructus ad vtilitatem, nutrimentum ad robur, vt eam, quæ fidem omnem superat, sola percipiat experientia veritatem. Quid enim longa oratione opus est, cum vnico res tota enunciari verbo queat? sat est dicere, Deus ipse cibus est. Ille instructor Conuiuii, ille Conuiua, ille Conuiuium. hic Leo ille de tribu Iuda, per cuius mortem factum est, vt de comedente exiret cibus, & de forti dulcedo: ne te forte Leonis, aut fortitudo debilitaret, aut terreret aspectus. Primis olim parentibus interdictus est cuiusdam arboris esus: fortasse, quòd indignus esset iis qui meliore essent ferculo nutriendi. Pretiosum fuit, sine dubio, antiquum illud Manna Iudæorum, cum

id esset gustui, quod suus cuique suggereret appetitus. sed quid sapere id potest, quod Deum non sapit? erat illud quidem ad vitæ sustentationem paratum: sed quomodo æternam vitam contulisset, cum eodem ferè die, quo nascebatur, interiret? quomodo à corruptione seruasset, cum postero seruatum die putresceret? At verò huic nostro Conuiuio, quid tandem deesse potest, in quo ille apponitur edendus, qui fons est bonorum omnium, & æternæ origo vitæ? Hic humana mens ebria sobriè, & eo quod vires parit vino firmissimè languescens, in illius ruit amplexus, qui mori sibi dulce putauit, quòd eo ipso quem funderet sanguine, lactare illam posset. Hic in altissimo somno vigil, memoriam abundantiæ, vt cum Dauide loquar, diuinæ suauitatis eructat. Hic in plena vnius escæ satietate famescens, & in media fame satiata, nescia quid sibi dulcius sapiat, neque satiari se sentit, neque famescere. Hic humanarum pertæsa rerum, patienter impatiens, ad illum diem suspirat, quo vultus iste pulcherrimus, ista ista facies, theatrum felicitatis, ah! nimium diu operta, tandem aliquando detegatur. Quia tamen interim virtutum omnium ornamenta conquirit, hoc autem non facile negotium est, ne fortè laborem reformidet, illi conceditur, vt edendo, & bibendo locupletetur. nisi fortè quispiam laboriosum esse putat epulari. Hic denique non vt olim Saulis filius, quòd

summa

summa virga tantillum mellis suxisset, miseræ mortis aleam subit, sed quòd admota Christi vberibus pleno ore mel trahat, trahit cum melle non dubium pignus vitæ sempiternæ. Ah quo me non meus ardor rapit, vel quid infantis more balbutientis effutio? Illa, illa in intimũ Christi pectus gliscens, mediis immixta medullis, sensim in ipsam infusa diuinitate, Spiritu sancto ignem inspirante colliquescit, signum imprimitur, in nouam formam conuertitur, fit ipse quodammodo Deus. & quid amplius, aut dici, aut cogitari, aut fingi potest? O cæcos in media luce homines? ò suorum ignaros bonorum? cum Deus Opt. Max. fons & origo omnis potentiæ, & amoris, eorum causa in huius institutione Sacramenti, omnem suum amorem, si fas est dicere, potestatemque consumpserit. Cum hic tanta vis insit, quid te deiicit infirmitas? cum tantus ignis ardeat, quid frigora metuis? Si te ista virtus non corroborat, quæ speras adiumenta? Si tu ista flamma non cales, quos ignes expectas? cum Christus hoc Sacramento efficere voluerit, vt intelligeremus, id quod hactenus dixi, illud maximum omnium esse diuini amoris, ac potentiæ argumentum? Sed finis sit. etsi enim his de rebus tacere difficilius fortasse est, quàm loqui; tamen quia ineptè loqui facilius est, quàm prudenter tacere, malo videri mihi vim tacendo fecisse, quàm loquendo me imprudentem fuisse. Nam de me ipso quid pol-

liceri possim futuris auditoribus meis nescio. hoc vnum dicere non reformido, me, etsi parũ possum, tamen nec minus studii, ac laboris ad eos Parmæ, quàm ad alios Romæ, & Patauii per aliquot annos attulerim, nec minùs amoris allaturum. Id debet officii ratio, id postulat amor ciuium, id merita Principis exigunt, id denique iubet diuinæ obsequium voluntatis.

ORATIO DVODECIMA.

DE POENITENTIA.

Habita in Gymnasio Parmensi.

QVÆ pertinent tum ad Sacramenta generatim sumpta, tum ad Baptismum, & Confirmationem (viri illustrissimi) hactenus ea tractare, & explicare conatus sum ? Dei Opt. Max. ope, & Serenissimi Ducis auspiciis, cuius aspectu cum his mensibus felix Roma fruatur, eius absentia tantum nobis affert desiderii, quantum restituet eius præsentia voluptatis. Quid autẽ hactenus in meo munere præstiterim, nescio. illud quidẽ apud me certum est, vt parùm attulerim ingenii, nihil mihi defuisse volũtatis. Ego enim ita factus sum, vt infirmo ingenio meo amorẽ sem per subsidio esse voluerim. Si quid tamẽ à me etiã

hac in re peccatum eſt, ampliſſimus ſeſe mihi nunc aperit ad pœnitentiam locus, quandoquidem eſt toto ferè hoc anno de Pœnitentia diſputandum. Et quamquàm Pœnitentiæ cauſa placere non poteſt, ipſa tamen Pœnitentia plurimam affert cum ea quam parit ſalute lætitiam, ita vt plerumque neſcias, an plus in peccatorum recognitione doloris percipias, an plus in ipſo dolore voluptatis. Duritiam enim pectoris rumpit Pœnitentiæ vis, & per geminos oculorũ fontes ita viam facit æſtuanti intus, & exundanti animo, vt vnà cùm torrente ſaluberrimi doloris, certatim erumpant copioſa flumina gaudij nullo vnquam tempore deplorandi. Quo maiorem in me creſcere ſentio huius laboris aggrediundi voluntatem; quòd & mihi pretium operæ futurum ſit agere de Pœnitentia, & Pœnitentiæ amor omnibus hominibus ſit maxime ſalutaris. Nam ipſum tractabo, quo mea curem vulnera, medicamentum, quin etiam cum de Pœnitẽtia diſputabo, ſi quid Pœnitẽtiæ obnoxiũ commiſero, experiar remedii virtutẽ in quo peccauero. Hominibus verò quibus nihil eſt noxa perniciosius, quid põt eſſe ſalutarius Pœnitẽtia? Ego enim ſic exiſtimo, Audit. eã eſſe Pœnitentiæ naturam, vt illa nihil laudabilius ſit in homine lapſo, nihil magis neceſſariũ erigere ſeſe volenti. Qua de re quoniam hodierna die mihi eſſe dicendum putaui, meminiſſe oportet Pœnitentiã poſſe bifariam ſumi, vel vt quidam actus eſt animi

nimi meliorē vitā redeuntis, vel vt Sacramentum à Christo salutis auctore institutum. vtrouis modo definiatur, sua insidet necessitatis inhærens ratio, sua inest conditio propria dignitatis. Priùs itaque hunc actum intueamur, tùm demùm de Sacramento differemus. Ergò, vt dicere cœperam, quemadmodum eum, qui aliquando desipuerit, resipiscere honestum est, ita fieri non potest quin turpis facti detestatio ac dolor debito fine perfectus, & cum vitæ mutatione coniunctus, multo maiorem post se relinquat laudis materiam pœnitenti. Vt enim loquar sicut Christianum hominē oportet, peccare, cōmuniter omniū est, verè Pœnitere ita paucorum, vt nullus sit qui se peccatorem neget, nullus affirmare se audeat verè pœnitentē. Quo fit, vt qui eum Pœnitentiæ honorem inuident, vt illam de cœtu virtutū detrahant, istos necesse sit, aut omnis peccati expertes esse, quod ego non credo, aut maxime impudentes, de quo non dubito. Nam qui fieri potest, vt quem pœnitentiæ pudet, pudeat peccatorū? vt defleat vulnera, qui medicamenta irridet? vt de vita recuperanda sit solicitus, qui triūphat amissa? Quamobrem hæretici nostri tēporis timere quid debeāt scio; sperare quid possint non video. cum enim Pœnitentiæ vim omnē ferè adimant, conferant sceleri robur, quid sperare possunt reiecta pœnitentia? quid timere non debēt, retento scelere? Quo in genere illud perridiculum mihi semper visum

ſum eſt quod cum ipſi noſtra opera omnia, flagitia eſſe putẽt, Pœnitentiã quoq; neceſſe eſt crimen eſſe arbitrentur. Quod igitur propugnaculum ſalutis erigere poterunt firmum, ac ſtabile, cum id quod ad fundamentũ pertinet, ſit ruina? Si virtus ipſa vitiũ eſt, quonam vitium hoſte iugulabitur? Si nulla Pœnitentiæ radix ad efflorescentiam, qui fructus exiſtent ad maturitatẽ? Verum enimuero Bezam neſcio quem audiamus, contracta fronte atque compoſito ad ſeueritatem vultu quidpiã ſecũ tacitè obmurmurãtem: Non placet, inquit, Pœnitentia: Reſipiſcentiam malo. quis, malũ; inuexit iſthæc monſtra, Contritionem, Attritionem, Satisfactionẽ pœnarumq; ſuſceptionem? Vitæ mutatio, vera pœnitentia eſt: iſtud ſalutare eſto, cetera pernicioſa ſunto ita cenſeo: ſic ratum habeo. Grauis auctor, ſcilicet; ſapientem quempiã diceres; ac non potiùs ranam in lacu Lemano coaxãtem: quaſi verò nouam vitam viuere poſſimus, vetere non mortua; mori vetus poſſit, niſi doloris, atq; odii vehementia diuinaq; virtute perimatur. Quid, quod lethali culpa, omnis ille amor, qui in Deũ ferri deberet, in res alias ita transfunditur, vt peruerſo rerum ordine, id quod ſolum bonum eſt, auerſetur animus, in eo, quod ſolum malum eſt cõquieſcat? Cum itaq; is qui peccat, cum Deo redire in gratiam nequeat, niſi eum, quem abſtulerat, reddat amorem; reddere amorem non poteſt, niſi id, quod ille maxime odit, pariter

oderit,

oderit; nam cum amare nihil aliud ſit, niſi velle bonum ei quem amamus, ſequitur vt malum quod illi bono contrarium eſt, deteſtemur: ita vt eodem impetu quo in Dei bonũ amore rapimur, in oppoſitum malum odio concitemur. Quantus eſt amor boni, tantum eſt odium mali. Odii menſura, ſi neſcis, amor eſt æqua lance libratur vtrumq;. quantum eſt in vno ponderis, tantum eſt in altero grauitatis. Atqui nullum malum eſt, niſi id quod peccatum eſt; & nos peccati auctores ipſi ſumus; conſequens eſt igitur, vt dùm animus noſter, ſcelus à ſe commiſſum, à quo ſe auertit, agnoſcit, bonum à ſe neglectum, in quod ſe iam conuertit, concupiſcit, amoris, ac doloris pari iaculo ſaucietur. Amor ſcilicet, doloris huius, quem pœnitentia exigit, eſt parens, ac nutrix, quantùm ille creſcit tantùm iſte capit augmenti; alterius incendium, ſuſcitat alteri flammas: ſi mens amore fuerit ebria, dolorem eructabit. ſi ſomnũ illi attulerit amor, ſuſpiria ſomniabit. Audire mihi videor voces luctuoſas hominis ſua peccata ſic deflentis, & videre ſpeciem præ doloris acerbitate morientis: Ah quò me meus perduxit error; quò cæca libido, quò curæ inanes? egone ille æternæ conditus felicitati, diuinis præditus ornamentis, nunc è tam ſublimi ſtatu præcipitatus meis volutor in ſordibus, ac cœno, reus ſupplicii ſempiterni? quamquàm quid opus eſt inferorum pœnis, aut carcere? ipſe mihi ſum pœna, ipſe ſum car-

ccx.

cer. ſat eſt mihi adiudicer, mihi adliger, & adſtringar. Nullus me aptior locus ad cuſtodiam, nulla carnificina crudelior ad æternam pœnā. Eſt enim ſua culpæ merces, eſt & virtuti præmium: vt virtus præmium ſibi eſt, ſic habet ſemetipſam culpa pro mercede. Vtraque ſuo digna pretio eſt, hæc turpitudine facti, illa operis honeſtate: turpitudinem ſequitur dolor, voluptas honeſtatem. Sed magnum eſt profectò inter vtramque diſcrimen, quòd cum virtus aliquid ſit, nihil ſit culpa, mirum non eſt, quòd aliquid inſit in aliquo boni, ſed vix credibile eſt tantum ineſſe in nihilo mali. O quàm plena dolorum meſſis, nulla ſatione, quanta nullis fluctibus agitatio, nullo ſpiritu venti, nullo mouente turbines? Et hanc igitur tali emptam pretio miſeriam non deplorem, quòd me pro nihilo perdiderim, quòd tantam malorum ſegetem è tam inani ſemine collegerim, quòd me ex vmbris concitata tempeſtate oppreſſerim! Hei mihi? quo feror? qui me concutit inſolitus horror? quæ noua me terret ſcelerum facies? Nullum ſit in culpa tormentum, ſit flagitiorum omnis impunitas. hæ me cogitationes angunt, hæ perimũt curæ, hæc pœna excruciat, quòd rerum omnium conditorem, ac dominum, ſubſtantia infinitum, ſpecie pulcherrimum, ſupremum ſapientia, bonitate opulentiſſimum, ſingularem poteſtate, hoc ſpiritu quem ab illo traxi, his oculis, his manibus, hoc toto quo me

donau-

donauit corpore, tot, ac tantis beneficiis ab illo penè obrutus, toties vltrò læsi, iniuria affeci, despexi? Et te ò parēs salutis, ac vitę princeps meę, te, inquã, obliuisci nequeo; & tui non meminisse nō possũ. tuus enim ille dũ allicit, me simul cruētat aspectus. hoc ego latus hausi, has imposui plagas, hanc intuli necem: & cum nullus in isto diuino corpore superesset nouo vulneri locus, ego nefariam hanc atq. impiam dexteram in te rursus intorsi, vt iamdiu excepta vulnera in meam salutem, recentibus hisce flagitiis recrudescerēt in ruinam. Ite, ite ex oculis imbres, currite flumina, quà campus est, oppressi leuamenta pectoris, præsagia serenitatis. Quamdiu incubabit offusa in animo caligo? quamdiu torpescent concreti in nubem cordis anhelitus? aut incalescant aliquando, & erumpat qui te, Christe optime, feriat ardor: aut soluantur in eas, quę mea crimina eluant aquas. Quamquàm nō est, quòd meus te feriat ardor. tuo igne languescis, neq; mea solis lacrymis expiari crimina possunt; nequeunt inferorũ incendio consumi. Lethalis nox flammarum vi acrior est, perennitate maior iste quo purpurascis cruor, ò pulcherrime, imò tuus iste sanguinis, è quo victor emergis, Oceanus, fortissime, & culpas obruet, & extinguet incendia. Quod hucusque actum est, actum est. fecisse pœnitet, pudet cogitantem. Innocentiam cum vita perdidit: sed innocentiam quærit quem pœnitet; & viuere incipiat oportet, qui dolore emo-

ritur. Ruat cœlum, terra dehiſcat: me non amplius cœlum peccantem aſpiciet, neque me terra ſuſtinebit errantem. Accedo ſpe ad opem tuam. tua me nimirum inuitat facilitas ad acceſſum, amor ad ſpem, poteſtas ad opem. Hos igitur pœnitentis motus (Auditores) deſpiciet Caluinus, Beza contemnet, irridebit Tilemanus Heshuſius? Hos dolores, has lacrymas, inanes dicet Lutherus, reprehendet Melanchthon, damnabit Illyricus? Sed minimè mirandum eſt, quòd iſti dolere ſalutariter nequeant, qui lætari laudabiliter non didicerunt, Noſtros gemitus rident, nos eorum riſum deploramus: timorem noſtrũ & dubiæ ſalutis ancipites curas deteſtantur; nos eorum ſecuritatem execramur. Satius eſt trepidantem ſeruari, quàm ſecurum petire: & præſtat redimere lacrymis promiſſa gaudia, quàm neſcio qua inani confidentia, peccatorum illecebrâ, abſorbere animo negatam temeritati felicitatem. Sed mittamus rabulas iſtos. Plus habet laboris, quàm lucri cum inſaniente contentio. Quamobrem maneat Pœnitentiam, & virtutem eſſe, quia, vt Ariſtotelico more loquar, bonum facit operantem, & maxime laudabilem in homine lapſo; quia in eo, poſita fide, ac ſpe, virtutum aliarum anteſignana eſt, & primus ad ſalutẽ recuperãdam veluti gradus, ſi, & ſanctiſſimorũ Patrũ dictis, & Eccleſiæ Catholicæ decretis, & ſacrarum Scripturarũ credimus veritati. At verò ſi de illius neceſſitate quæramus,

mus, manifestum est tantam esse, vt nullus possit à lethali peccato à se commisso, sine pœnitētia liberari. Sed imprudens meritò videri possem, si quæ postmodùm in futuris disputationibus agitanda sunt, ista veluti prolusione præuerterem. Non enim hodierna die mihi esse docendum iudicaui, sed dicendum. neque molestũ esse debet, opinor, si vos qui integris annis aures atq; animum Theologo dare potestis, nunc conceditis tàm exigui vsuram temporis oratori, qui qualiscumque sim non magnopere mihi esse curandum puto. nam si non laudem, excusationem certè mihi facilè mereri posse videor. Vt igitur alteram orationis meæ partem, quæ de Pœnitentiæ Sacramento est, quàm maxima fieri poterit breuitate conficiam; quid primum, quid postremum afferre potero, vestra dignum expectatione, dignum eius rei, de qua dicere aggredior, maiestate? Sedet attonito in solio Dei, & hominum quasi arbiter Sacerdos; & stupet, & se non capit; & se ita circumspicit, vt suam inuenire personam non possit, dum sustinet alienam. Cœlum, terra, Inferorum sedes illius vultum causæ, ac iudicij momenta ponderantis intuentur. Quà quà se intulerit sententia, rata, fixa, firma est. Pendent ab vno vniuersa iudicio, nutũ auspicantur, vocẽ expectãt: quidquid ille annuat, quidquid loquatur, nutus oraculũ est, & vox imperium. O quantũ instar in illo est? Habet auctoritatẽ pro throno, clauẽ pro sceptro, pro re-

gia veſte iuſtitiã, prudentiã pro diademate, pro corona ſapientiam, ſecretum pro cuſtode, pro defenſore conſtantiam. Habet homines pro regno, Cacodæmones pro ſatellitibus, pro miniſtris beatas mentes, pro impiorum æterno ſupplicio inferos, pro expiandis debito tempore animis aliam pœnarum ſedem, pro victorum præmio cœlum. Nutant eius decreto superni, & inferni poſtes; dictum factum, eius voluntate obſerantur, pateſcunt arbitrio. Nulla quidem hic cernitur ſpecies ad regiam pompam, quæ rapiat oculos fulgore corporeo, non animos admiratione virtutis: ſed neſcio quod ſeſe prodit occultum numen in nuda maieſtate, quod terret, quod emollit, quod impellit, quod coercet, quod temperat, quod regit, hominum mentes, atq; ita dominatur, vt cũ aut vitæ, aut mortis perpetuæ iudicium ſubeundum ſit, huius iudicis ſequi cogantur mors, & vita ſententiam. Iubeat, velit, interpretetur, abſoluat, illaqueet: nullæ hic interceſſiones, appellatio nulla, nulla rogatio. Dei & hominis vnum idemque decretum eſt; ſtabile profectò, quia diuinum. Iam verò quam tu mihi regum atque imperatorum potentiam auctoritatemq. iactabis? An non vides orbis terræ principes abiecta purpura, poſito ſceptro, ſolos, inermes, ad pedes Sacerdotis accidere; ſe reos, omni ſe cruciatu dignos multo cum fletu fateri, veniam precari, vitę morumq; mutationem polliceri? vt quod nulla vi armorum

rum ab omnibus eorũ hostibus obtineri potuit, vnius Sacerdotis præsentia consequatur; & qui cæteros reges, aut inuidia insequerentur, aut fastu contemnerent, ad huius aspectum iudicis repente concidant. Quid quod Sacerdotẽ Sacerdos Pœnitentem audit, & iudicat? nimirũ Sacerdotium aliquid seipso maius est. quod igitur tantũ regnum, quæ tanta potestas, quę huic antecellat, cũ Sacerdos, qui omnibus pręest, Sacerdoti subesse teneatur? Perge porrò cetera videamus. Non hic strepitus fori, non tubarum clangor, non turba lictorum, non testiũ multitudo, nõ greges patronorum. In tàm graui, tàm diuino senatu, secreta sunt omnia, quieta omnia; ita vt nec ipse iudex dimisso iudicio scire possit quam causam audierit, nec meminisse quem reum absoluerit. Iacet humi coràm illo idẽ & reus, & accusator; non vt suppliciũ quod meruit deprecetur, sed vt veniam scelerum, quę commisit, cõsequi possit: &, ò Christianæ Religionis miraculum? quo ille acrius in suam culpam inuehitur, eò vehementius iudicem impellit ad veniam dandam. Sunt pro tubis suspiria, crimen pro lictore, conscientia pro testibus, neq; patronos ad sui defensionẽ quærit, qui seipsum accusat; neque interpellatores, qui spem salutis in criminis confessione positam esse intelligit. In ceteris causis qui delicti, & testium fide conuictus est, legum vi necesse à profano iudice condemnetur: in hac, legitimus Ecclesiasticus iudex, reum, cui nihil ad hoc Sa-

cramentum ritè ſuſcipiendum deſit, tenetur ab-
ſoluere: ille alias liberum iudicij retibus illa-
queat, hic irretitum abire liberum ſinit: ille vi-
uum morti adiudicat; hic mortuum ad vitam re-
uocat: vt hoc tantum Sacramentum, tàm noui,
tàm inauditum, meritò dici debeat forum ſalu-
tis, tribunal miſericordiæ, iudicium vitæ, ſenten-
tia libertatis, Sed quid tamdiu in foro verſa-
mur? quod aſylum è fuga magis obuium? qui
portus è naufragio tutior? quod firmius è rui-
na receptaculum? quæ tranquillior è tumulti-
bus quies? quod deniqud ad vulnera medicamen-
tum ſalubrius, & efficacius poterit vnquam hoc
Sacramento reperiri? Notum eſt omnibus quod
dicam, & illud quidem admirabile. adeſte men-
tibus, Auditores, & beneficii accepti magnitudi-
nem penditote; reputate vobiſcum, obſecro,
quanta ſit in curandis grauioribus corporum
morbis difficultas; ita vt interdum opes cum
annis conſumptæ ægritudinem corporis ani-
mo cōmunicent, dubia vita pro ſolatio, & pro
exitu plerūque certa morte. Hic verò ſtatim atq;
medico æger vulnus aperuit, curatus eſt. Et qui-
dem eò deteriores ſunt animi morbi, quò ani-
mus præſtantior eſt corpore; eò curatione diffi-
ciliores, quo magis ignoti. Ergò vbi primum ge-
mina illa Sacerdotis vox ſeſe in aures pœnitentis
infudit, Abſoluo te, ecce tibi repentè è cœli arce
ſuprema, diuina gratia illabitur; & dulciter per
animi ſinū gliſcens, influit ſenſim in intimas me-
dulla

dullas; & per venas serpens in abdita pectoris penetralia, noua mentis coniux gremium cordis, vt ita dicã, maritat, & nexu tam arcto vincit, vt neque vita laxari queat, neque morte dissolui. O diuinæ spectacula potẽtiæ, certamina bonitatis? ille ille Sol iustitiæ, ille luminum Princeps, cuius occasus interitum homini attulerat, vt primum sereno vultu ereptum reducit diem, vt ah. nimimium diu collectam explicat, & spargit lucem, ita nox omnis abscedit, vt nulla tenebrarũ fœda vestigia relinquantur: & ò qui ardores, Deus immortalis? quæ incendia consequuntur? quæ voces silentis animi & vix nota voluptate sibi colliquescentis? dum præterita respicit, præsentia cõtuetur, hæc & illa comparat, hæret, quà se vertat nescit; hoc vno beatior, quòd in suis fluctuat bonis. Hæccine illa tot, ac tantis debita vindicta sceleribus, vt ille mihi Deus, pro contumelia honorem reddat, amorem pro odio, pro seruitute libertatem? Dicere vereor, quod vellem, & tacere nõ possum, quod debeo: dicere si nefas est, tacere violentũ: diues naufragium, quo ita ditesco: securus error, quo huc inducor: dulce vulnus tali curatũ dextera: felix interitus vita meliore vindicatus? Quod si quid & in hac mea lætitia culpæ est, si gaudio exultare sine improbitate nõ possũ; ille mihi facilè dabit veniam peccanti, qui talem præbet lætandi materiam: cùm enim ille nostri amore vincatur, cum talia efficiat, non magnum est si quid mihi excidat de illius benigni-

tate triumphanti. Sed quò mea me rapit oratio, siue dolentem de culpis, siue de diuina bonitate gaudentem? illam oportet non solũ incitatam retardare, verumetiam reuocare progredientem; ne cùm & pietatis, & prudentiæ ratio habenda sit, piè pro Pœnitentia, imprudenter pro tempore dixisse videar. Quapropter dicendi finem nunc faciam, initium de Pœnitentia differendi, crastina die. nã de futurę tractationis natura plura cõmemorare superuacaneum est. Aio ferè nullam esse in Theologia partem cognitione magis necessariam, amplitudine vberiorem, si omnia, quæ ad illam pertinent, spectes, difficiliorem. Sua illi non deest oblectatio, certè maior quã aspectu prę se ferat. Porrò quid de me dicam, Parmenses nobilissimi? Hominem habebitis fortasse non planè inutilẽ, vestri verò amatorem, mihi credite, diligentẽ. Vester erit experiri labor: vobis obsequi mea cura esto. Si quodã meo officiũ vobis gratũ extare poterit, id mihi maximi ducam beneficii loco. Sed quoniã pro vestra humanitate cogitare, nisi fallor, videmini, aliquid me à vobis postulare posse; hoc vnum ego, non dicam postulo, sed peto, vt cum ea sit, quam dixi, mea in vos & voluntas, & obsequium, voluntatem amplecti velitis, & obsequio frui.

Laus Deo, Beatissimæque Virgini.

FINIS.

FRAN-

R. P. FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E SOCIETATE IESV,

Epigrammatum

LIBER PRIMVS.

De Nuncio ad Beatissimam Virginem.

I.

HAEret in aspectu diuinæ Virginis ales
Primus & in docto deficit ore sonus.
Virgo immota silet, nec sursum lumina tollit,
Errat & in niueo plurimus ore rubor.
Quid facient? optata vrgent mandata Tonantis,
Et tamen & tacet hæc, & nequit ille loqui.
Causa oculi. Vt fari tandem possitis vterque,
Angele flecte tuos, erige virgo tuos.

De reditu Angeli post eius legationem.

II.

TEntat in æthereas reditū pius Aliger oras:
Virgineo retinet qui venit ore decor.
It, redit, ambit: amor nescit qua parte recedat,
Ter tibi, virgo, vale, ter quoque dixit aue.
O nisi supremi reuocarent iussa parentis?
Nuncius hac vnquam nollet abesse domo.

Deus homo factus est.

III.

VIx hominē insigni similē sibi finxerat arte
Cū subito est hominis tactus amore Deus.
Vt tamen auerso fugientem vidit amore,
Qualis præcipites cum rotat amnis aquas;
Quid faciam? dixit; quoties mihi iūgere conor,
Ex oculis toties euolat iste meis.
An perimā? ast hominis nimio succēdor amore,
An sequar? at fugiet, quo magis ipse sequar.
Haud sequar, haud perimam. ne se mihi subtrahat vnquam,
Neue Deum fugiat, mox erit ipse Deus.

Non videbit me homo & viuet. Exod. 33.
Vidimus gloriam eius. Ioan. 1.

IIII.

ET video, & viuo: Deus optime, vera minaris?

Dulci

Dulcia num potius spicula promit amor?
Scilicet hoc loqueris, quòd te qui vidit, amoris
Non ferat insolita vulnera facta manu.
Ergo quid hoc? viuo: sensit si vulnera pectus.
Iam vidi, satis est. tu mihi claude diem.

De Christo nato.

V.

QVis timeat? mollis cōstringit fascia dextrā,
Quæ rapida horrenti fulmina nube rotat.
Vincula sunt pueri. Feret aspera grandior ætas
Vincula, cum palmam clauus vtrāque premet.

De Stabulo, & Stella, die natali Christi.

VI.

HInc stabulum & stipulam cerno, pecudumque recessus:
Inde oculis fulget Stella benigna meis.
Quàm benè signatur res dispar dispare signo?
Scilicet hoc hominem nunciat, illa Deum.

Ortus, & occasus Christi Antithesis.

VII.

CLara dies, oreris media dū nocte refulges:
Dum moreris, medio nox ruit atra die.

O verum solem supera inter lumina, quo lux
Exoriente oritur, quo fugiente fugit.

De Stella quæ in natalitijs Christi apparuit.

VIII.

DVm media Christus pandit sua lumina nocte,
Tu media Christum nocte repente prais.
Ille die medio mortem cum sponte subiret,
Crediderim medio te perijsse die.
Nobile prob nimium sidus surgensq; cadensque!
Quod tibi erit tali nomen ab officio?
Phosphorus es, media cũ sol de nocte propinquat:
Hesperus es, medio cum fugit ille die.

Ad Militiæ cœlestis multitudinem cantantis nocte natalis Christi.

IX.

TVrbata ce: tremulus gemit en puer: aspice gemmant:
Mollia labenti lumina lacrymula.
Non bene cõueniunt hilari cum carmine fletus,
Lataque cum tristi vox malè voce sonat.
Ipse tamen fallor facta est symphonia concors:
Materiam cantus vox gemebunda parit.

De Magis Christum natum Hierosolymis quærentibus.

Vbi est qui natus est, &c.

X.

MOesta cohors Procerum, stellaque orbata fauente,
Ignotam stolida quærit in vrbe domum.
Errat, & attonitas incassum exsuscitat aures,
Cogitur & miserum dicere semper Vbi?
At mox vt cæca se tandem proripit vrbe,
Læta suum rursus cernit in axe iubar.
Non mirum est: Fidum rutilans ex æthere sidus:
Debet; vt antè viam, nunc docuisse domum.

Turbatus est Herodes Rex, &c.

X I.

REgia quid tãto quatiũtur corda tumultu?
Quid tacitas inter fluctuat ira minas?
Grande aliquod regis fixũ est in pectore vulnus.
Quem timet, & puerum sentit, & esse Deum.

De Sanctis Innocentibus infantulis ab Herode interfectis.

XII.

INnocui infantes, ô quali exercita sorte est
Vestra hæc exiguo corpore vita minor!

Non plagis apta est ætas, non apta coronis:
Vix habet in vobis pœna decusque locum.
Grandior apparet tantillo corpore plaga,
Ridet & in parua magna corona coma.
In vobis nequeunt si pœna decusque locari:
Sors bona; in his satis est vos habuisse locum.

De ijsdem, ad impium Herodem.

XIII.

AH ne crude feri: satis est pro vulnere terror:
Et facile est pueris vel sine cæde mori.
Ante istos tantum si fulgeat ensis ocellos,
Eripiet vitæ protinus ille diem.
Forsitan ictũ addis, gemines vt funera? mater
Occidat vt ferro tacta, timore puer?
Sic reor: vltores posthac ne fœmina natos
Edat in interitum dire Tyranne tuum.

Ad eosdem Innocentes martyres.

XIIII.

INteritu in vestro non est quæsita voluntas:
Ludite in ignota parua caterua nece.
Si cum posse deest, satis est voluisse necari,
Nunc cum velle deest, sit potuisse satis.

Die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
De Simeone, & Mose Antithesis.

Non videbit me homo & viuet. Exod. 33.

Reſponſum accepit Simeon à ſpiritu ſancto non viſurũ ſe mortem donec videret Chriſtũ Domini. Lucæ 1.

ET Moſes, Simeonque Dei cupit ora tueri,
Par deſiderium, diſsimiliſque modus.
Viuere non potis eſt ille, & cœleſte videre
Numen; ni videat, non potis iſte mori.

De ijſdem.

XVI.

SI viuat Simeon, paſcetur numine viſo,
Moſes hoc felix, ſi moriatur, erit.
Hic cupit, ille cupit: ſimilis ferit ardor vtrũque:
Viuere ſed Simeon mallet, & ille mori.

Ad eundem Sanctum Simeonem.

XVII.

VIxiſti felix, moriere beatior. I nunc.
Spes tibi vita fuit; mors tibi munus erit.

Ad beatiſſimam Virginem eodem die Purificationis.

XVIII.

PRo pretio infantis veteri de more redēpti,
Munus egentis aues, diuitis agnus erat.
O quid aues tecum, virgo, pro munere defers?
Non satis est agnus, quem geris ipsa sinu.

Ad Angelum qui Christo Domino apparuit in horto Getsemani, & qui pingi solet calicem manu gestans, Epigramma, in gratiam cuiusdam Cardinalis, qui illud suis in hortis posuit, conscriptum.

XIX.

HVc ades, ô iuuenis, manantem sanguinis imbrem:
Excipe: ad hoc venit forsitan ille calix.
Excipe, & æterno refer hæc mandata parenti,
Sunt, pater, hæc nati pignora certa tui.
Stat mori & immeritam pœnis effundere vitā:
Nunc quoquè fusurus, si placuisset, erat.
Has tamen interea missas, pater, accipe guttas;
Cras tibi, quod reliquum est sanguinis, ille dabit.

De Christi latere lancea aperto.

X X.

CVm Christi hausisset pectus fera cuspis apertum,

Protinus ex illo vita renata mea est.
O quàm certa fuit tentato vulnere dextra?
Hanc ego, amor, dextram credo fuisse tuam.
Tunè amor es cæcus? cæcus Longine fuisti?
Dicite, si hoc cæcum est esse, videre quid est?

Christo Domino.

XXI.

CVm diuinus amor tecum me fecerit vnum,
Arserit & flāmis mens mea Christe tuis:
Tunc gaudiū tanto saliet mihi numine pectus,
Nec dolor vllus erit, nec labor vllus erit.
Erigis at quoniam, quem tu feliciter imples,
Qui vacuus iaceo sum mihi solus onus.
Nescio quid sit amor pōdusne est, an mage pēna?
Penna mihi leuis est, & graue pondus amor.

Ad Beatissimam Virginem.

XXII.

VIrgo iubet me castus amor tibi dicere laudes,
Sed me maiestas tanta, pudorq; vetat.
Quid faciam? pudor assiduo decertat amori,
Atque animum in partes flectit vterq; suas.
Cedere si cogor, mage tutum est cedere amori.
Esse potest nimius forsitan iste pudor.
In me si qua tamen malè culti est culpa pudoris,
Culpa hæc, ò virgo, fiet amore leuis.

De Christo, & Beata Virgine eius matre.
Hinc lactor vbere, Hinc pascor vulnere.

XXIII.

VBera me matris, nati me vulnera pascunt,
Scilicet hæc animi sunt medicina mei.
Nam mihi dũ lacrymas dolor elicit, vbera sugo,
Rideat vt dulci mixtus amore dolor.
At me pertentant dum gaudia, vulnera lambo,
Vt me læta pio mixta dolore iuuent.
Vulnera sic nati lambo, sugo vbera matris,
Secura vt variæ sint mihi sorte vices.
Quis sine lacte precor, vel quis sine sanguine viuat,
Sanguine nate tuo, lacte puella tuo?
Sic lac pro ambrosia, suaui pro nectare sanguis,
Et me perpetuo Vulnus & Vber alat.

De carcere, & vinculis, quibus Sanctus Petrus ab Angelo solutus est.

Existimabat autem se visum videre, Act. 12.

XXIV.

VIncta dabat laxum Petrus per membra saporem,
Inuitos fugerent cum pia vincla pedes.

Ille timet falsas vera sub imagine formas,
Aspicit, & fictum, quod videt, esse putat.
Non mirum. optato forsan se carcere solui,
Nunquam passurus, si vigilasset, erat.

De ijsdem Beati Petri Vinculis.
XXV.

QVàm suaues ducit media inter vincula somnos?
Gaudet & attonita regnat in arce Petrus.
Excubat ipse sui custos, timidasque catenas
Increpat, & vinclis pascitur ipse suis.
Errauit patriis nunquam mage liber in agris,
Nec iacuit placido mollius ille thoro.
Tranquilla posthac si vis requiescere sede,
Transfer in hæc lassos vincula Petre pedes.

De eodem carcere à quo B. Petrus ab Angelo eductus est, & Herode Rege.
XXVI.

FVlminat in Solymis Herodes impius aruis,
Inque iubet Petrum ferrea vincla rapi.
Obiicit æratos postes, centumque catenis
Firmat, & armato milite tecta replet.
Interea illuso Petrus de carcere prodit.
I nunc, & stultas claude Tyranne fores.

De sanctis Apostolis Petro & Andrea Fratribus.

XXVII.

Aspice cognato pendentes stipite fratres,
O felix ortu fœtus & interitu?
Vna parens fuerat vitæ præsentis vtrique,
Alterius vitæ crux fuit vna parens.
Lac vt idem in partu, sic idem in funere sanguis:
Fratribus vna fuit vitaque morsque soror.
Fœcundum æquoreas iactarũt rete per vndas,
Arte vna simili munere, amore pari.
Alter at inuersa moriens iacet arbore pressus,
Alter in elato stipite rectus obit,
Hæret pes capitiq́; caputq́; pedi, oscula vt alter
Possit in alterius figere cara pede.
Viuite io gemini Proceres, vnusque duobus
Et vitæ, & mortis laude triumphus eat.

Quidam die festo Sancti Petri ad vincula, religiosa vota renouat.

XXVIII.

Vt tacito Petrum cedentem carcere vidit,
Et cecidere sacra territa vincla manu:
Ni fallor, dixi: se se pia vincula soluunt,
Alterius subeas vt mea dextra locum.
Ite pedes: quid enim iussæ cessere catenæ?

Vos circum dandum nobile pondus erat.
Hæc ego. mox ferro dextrā premo, cōpede suras,
Hæc mea sunt posthac vincula, Petre vale.

De lacrymis Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quas ad Christi pedes effudit.

XXIX.

FElices nimium gemini tua lumina fontes,
Quæque venit trita sedula gutta via.
Se lacrymam esse tuam cuperet, dū vere tepenti
Labitur in molles humida gemma rosas.
Si manare oculis posset Pactolus ab istis,
Aurifer hac iret ditior amnis aqua.
Tam pretiosa pedes Domini nisi lamberet unda,
Vnda quid, ah! quererer, tam pretiosa perit?

De ijsdem lacrymis ad Simonem Pharisęū.

XXX.

FOemina si flendo, Simon, conuiuia turbat,
Da veniam, has lacrymas culpaque amorque cient.
Vt lacryma est scelerum vindex, ita testis amorum est:
Et bene quod ploret, quæ male risit, habet.
Magdala plora igitur, fremat inter pocula Simon,
Quis scit an & flendo dulcius ipsa bibas?

Ad

Ad eundem Pharisæum de ijsdem lacrymis.

XXXI.

QVid miseræ fremis in lacrymas? haud lauerit vnquam
O Pharisæe tuas purior vnda manus.
Magdala quære alias ædes, te barbarus iste
Spernit, & ignorat quas habet intus opes.
I, geme Iordanis vitreas prope fluminis vndas:
Christus in his etiam sæpe moratur agris.
Hic lacryma: sit.n.quãuis pulcherrimus amnis,
Erret & æterna per sata læta fuga:
Viderit vt flentem, natiuo fonte relicto
Ex oculis veniet pulchrior ille tuis.

De eadem Beata Maria Magdalena, cum in domum Pharisæi ad Christum properaret.

XXXII.

CVrreret ad gelidos sitiens dum Magdala fontes,
Et peteret cordis pignora cara sui:
Me precor, ah? dixit, remorantib. obuia turbis,
Linquite: si morbum discere vultis, amo.

De eadem dum Christi pedes oscularetur in domo Pharisæi.

XXXIII.

MAgdala diuinis dũ figeret oscula plãtis,
Sæpe hæc ex imo pectore verba dabas:
Dicámne, an sileam? culparum sarcina felix,
Quæ me tam caros deprimis ante pedes.

De eadem ad Christi pedes abiecta.

XXXIV.

ILla ego tandem adsum grauibus dignißima pœnis,
Christe age, rumpe moras; percute, cæde, neca.
Non peto ne peream: precor ô pulcherrime rerũ,
Vt peream telo saucia facta tuo.
Ah liceat mihi ad has animam hanc effundere plantas?
Vicisti: nostra morte triumphus eat.
Pone amor hic pharetram, nostroq; inscribe sepulchro
Quanta tuo virtus insit in imperio.
Quid loquor? heu scelerum leuis est mors pœna meorum?
At non posse mori, maxima pœna mihi est.

De illius Capillis, quibus Christi pedes tergebat.

XXXV.

O Quàm diuersos crinis formatur in vsus?
Arma sua inuictus ponere nescit amor.

Magda-

Magdala crine potest, solita memor artis, eodem
Illaqueare homines, illaqueare Deum.

De vnguento, quo illa Christi pedes vnxit.

XXXVI.

QVàm bene seruatos pretiosa vnguenta liquores,
In lassos fundit prodiga dextra pedes.
Grande refert mulier tali pro munere lucrum,
Et pretio tanti non caret officii.
Dum tangit medici corpus, sua vulnera discit,
Vngit, & vnguento sana fit ipsa suo.

Eadem ad Christum lacrymis madens.

XXXVII.

ME tuus vrit amor, Christe ò mea gaudia nosti,
Et morerer, socias ni daret ignis aquas.

Maria Magdalena Christo Domino.
Ecce quem amas infirmatur. Io. 11.

XXXVIII.

CHriste veni, affer opem frater te Lazarus optat,
Et cum languenti saucia fratre soror.

Ni pro-

Ni properas, ægros tua ni præsentia curat,
Ecce perit morbo frater, amore ſoror.
O vtinam ipſa forem noſtræ tibi nuncia pœnæ?
Fratris abeſſe vetat cura, venire pudor.
Sint ſatis hæc. plura is quē mitto nuncius addet:
Si tamen hic rudis eſt, ipſe loquetur amor.

Maria Magdalena ſtabat ad monumentum Chriſti foris plorans, &c.

XXXIX.

QVid feror heu Domini toties ad inane ſepulchrum?
En viuo, & me vult forſitan ille mori.
Vita vale. quis ſcit mihi mors an reddat amātē?
Sæpe venit facili morte cupita ſalus.
Hoc me igitur, iuuenes, ſi fas, tumulate ſepulcro
Et ferat hæc memori carmina fronte lapis,
Amiſſum vacua Dominum dum quæreret vrna,
Pro Domino iacuit perdita ſerua ſuo.

De Sancta Maria Magdalena, à Iudæis in exilium eiecta.

XL.

PArua domus, mea cura, feris committitur vndis,
Fors bona; neſcio quò nauigat, eure faue.

Hei mihi ne rapido minitetur vortice pontus,
Et pereas media paruule linter aqua.
Maßilia ignotas ò si te errare per vndas
Sciret: quotquot habet mitteret illa rates.
Tu mare, vos venti, trepidæ succurrite cymbæ,
Nullus in imbelli Nauita puppe sedet.
Exiguum est pondus, facilis via, poscitis & vos
Si pretium, pretium est grande, tulisse pios.

De Sancta Catharina Virgine & martyre, & 50. viris ab ipsa ad Christi fidem conuersis.

XLI.

VIrginea immanis vix à ceruice tyrannus
Impauidum timido demetit ense caput,
Cum niuei erumpunt rores & lacteus imber,
Vnde tibi talis casta puella liquor?
Natos ipsa suos moriens pia virgo videbat:
Credibile est illis lac voluisse dare.

In Quintianum Siciliæ Prætorem, qui post martyrium Sanctæ Agathæ, dum ad eius agros, & bona rapienda properaret, flumine obrutus miserè perijt.

XLII.

QVò properas sitiens auri, quò plene cruoris?
Oblitumne putas criminis esse Deum?
Scilicet exultas terræ non raptus hiatu,
Terræ, quæ comites obruit ante tuos.
I, licet, i, medio solues mox flumine pœnas:
Terra tulit rabiem, non feret vnda sitim.

De eiusdem Quintiani morte, qui ad Sanctæ Agathæ martyrium flammas etiam adhibuerat.

XLIII.

ERrabat lætis Prætor moribundus in vndis;
Quid faceret superum quem grauis ira premit?
Me miserum dixit, scelerum nūc sentio pœnas
Quam flamma attulerat, depulit vnda sitim.

De quadam effigie Sanctæ Cordulæ Virginis & martyris.

XLIV.

QVam cernis viua iactantem lumina flāma,
Vndenis hæc de millibus vna fuit.
Nonne vides iugulum vt prabet, mortemque reposcit,
Mortem, quam subitus fugerat ante timor?
E tenebris generosa ruit, seque increpat vltrò,
Quòd liquit socias degener vna suas.

Virgo sat est, morere; extremi tibi dātur honores
Pro Christo est semper tempus, & hora mori.

De Sancto Alexio.

XLV.

IPsa sua Dominus seruit peregrinus in aula,
Et proprias inter gaudet egenus opes.
Ignoti maior laus est & gloria: Alexis
Nunquam tam celebris, ni latuisset, erat.

De matre Sancti Alexij illum ipsum domi non agnoscente.

XLVI.

ICta dolore parens in Alexi quærit Alexim,
Et non amissas perdita luget opes.
Dum videt, ardescit, pascitq; tuendo dolorem,
Veraque mutantem fallit imago fidem.
O amor, & qui te cæcum neget? improba mater
Non credit natum, quem videt, esse suum.

De Sancto Bertulpho Pastore.

XLVII.

DUm mediis Bertulphus agris de nocte serenâ
Mente colit superos inuigilatque gregi,
Protinus horrifico nigrescunt sidera nimbo,

Et furit immiti turbidus imber aqua.
Adfuit omnipotens: media fax nubila flamma
Scindit, & immensum proruit axeo iubar.
At volucris latas supra caput explicat alas.
Fax tenebras, alis depulit Ales aquam.
Quas metues vnquam tenebras, Bertulphe, vel imbres.
Cui tenebra tenebris, imber & imbre caret?

Ad Sanctam Mariam Aegyptiacam.

XLVIII.

HIc amor, hic gemitus culpas extinguit: amares,
Si non peccasses, forsitan ipsa minus.

De Sancto Antonio Abbate.

XLIX.

DVm furit immani rabies Acherontica bello,
Et quatit in sanctum tela cruenta senem.
Protinus ecce tibi stygi; Dux agiminis, instar
Fulminis, hos diro detonat ore sonos,
Fallimur ò socii, vanos raptamur in ausus,
Et miseri in nostram vertimus arma necem.

Iste nouum acquirit duro certamine robur,
Quo magis & premitur, tollitur ille magis.
Dixit, & astra cohors stridens velut vmbra recessit,
Hostis iam vinci qua queat arte docet.

De Sancto Martino.

L.

DVm glacialis hyems tristes exureret agros,
Et concreta vagos sisteret vnda sinus:
Ecce tibi toto nudatus corpore pauper,
Martini supplex concidit ante pedes.
Non tulit hoc miles. chlamydē rapit, ense secat(que)
Nudaque diuisa corpora veste tegit.
O generose nimis: totamque daturus egeno,
Ille dari totam ni vetuisset, erat.

De Sancto Francisco, & Sancta Clara.

LI.

VMbria dum facili Frãciscus surgeret alua,
Et nouus exoritur nunc mihi Phœbus, ait.
Mox vt felici processit viscere Clara,
Salue; Luna mihi tu quoque, dixit, eris.
O quantus duplici vestit me lumine fulgor?
Vmbria eram: mihi nunc Claria nomen erit.

De Iona Propheta, & Ceto Pisce.

LII.

ATtonito vates in Ceti ventre triumphat
Naufragus, innocuæ nobilis esca feræ.
Non fuit ille vnquam pacata lætior vnda,
Non fuit irato tutior ille freto.
Redditur at tandem facili Pistricis ab aluo,
Et carus fidis enatat hospes aquis.
Si cupis ò vates posthac vitare procellas,
Ad quæ confugias viscera piscis habes.

S. Catharina Senensis Christo Domino.

LIII.

SIue mori me Christe iubes, seu viuere mauis,
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

De B. Ignatio Societatis Iesu fundatore.
Ad Maiorem Dei gloriam.

LIIII.

QVidquid agit loquerisve Pater, vel mente reuoluis.
Sola Dei totum gloria claudit opus.
Paupertas tibi diuitiæ, vigilantia somnus,
Cura quies, lacryma nectar, amorque dapes.

Et tibi sunt laudes conuicia, gaudia pœnæ.
Dummodo præ te eadem gloria semper eat.
Iam diuina reor, fiet tibi gloria nomen,
O noua laus propriæ laudis ab interitu?

De Beato Francisco Xauerio.
Satis est Domine.

LV.

ET glaciem & spinas, Franciscus, & horrida calcat
Saxa, cruentatos nescius esse pedes.
Deliciis superum bene scilicet ebrius errat,
Et querulo tales rumpit ab ore sonos,
Non capit, ô Christe, angustũ tot gaudia pectus.
Claude voluptatis flumina; iam satis est.

De Paupertate voluntaria.

LVI.

CArpathij vt fugeret bacchantes æquoris iras,
Et rapido eriperet vortice nauta ratem,
Hæc secum infestas tibi si sapis, obrue merces,
Auferat alter opes, vt ferat alter opem.
Merx homini pretiosa salus, reliqua omnia cedant.
Est melior fracta nuda carina rate.

Mox

Mox ubi fœlices nauem tulit Eurus in oras,
Gemmiferisque Arabum constit illa plagis:
Fortunatus, ait, turbata per æquora iactus,
Qui simul auget opes, & mihi præbet opem.

De obedientia.

LVII.

QVàm benè cœca regit filo vestigia Theseus,
Semiuirum postquam perculit ense bouē?
Cernis ut immensis ambagibus antra resoluēs
Perplexam, ad tutas exeat ille vias.
Nos procul heu, patria via diuidit inuia sede,
Et circumà semper nos Labyrinthus agit.
At qui rectorum in tenebris data fila sequetur,
Tutius, edomitis hostibus, astra petet.

De Castitate.

LVIII.

COrporis intacti species mentisque pudicæ,
Nix, speculū, & mollis dicitur esse rosa.
Quid niue cādidius? speculo quid purius ardet?
Quid ve potest tenera pulchrius esse rosa?
Mors rosa in attactu est; speculum leuis inquinat aura,
Et nix vel minima labe notata, nigra est.
Quā facilis labes facilisq; attactus, & aura est,
Tàm sit magna tua cura pudicitiæ.

R. P.

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E Societate IESV Epigrammatum

Liber Secundus.

De Gregorij XIII. Pont. Maximi Insignibus, id est, Dracone, exsecta cauda.

I.

PEstem in nos coluber capite intulit, is quoque cauda
Cælestes pauida traxit ab arce choros.
Contriuit colubri virgo caput: Optime Pastor,
Secta est imperio cauda cruenta tuo.

Quis

Quis timeat capitisve luem, caudæve ruinas,
Si caput obteritur, si fera cauda perit?

De ijsdem insignibus, Emblema.

II.

CErnis vt in promptu conuersa est virga colubrum,
Rursus vt è colubro reddita virga sibi est?
Hoc magicos fertur Moses vicisse colubros,
Illa dispersum composuisse gregem.
Sic tuus ille draco volitantes orbe dracones
Comprimit, & stygios cogit adire lacus.
Sic sanctũ tua virga gregem per amœna vireta,
Et regit, & tutum, maxime Pastor, alit.

Ad eundem summum Pontificem Gregorium XIII. de variarum nationum Collegijs, Romæ ab ipso erectis.

III.

SOllicitat terris humores Phœbus, & ijsdem
Arentem pluuio flumine ditat humum.
Magne Parens, Soli similem te prædicat orbis,
Gestit, & ò salue tu mihi Phœbus, ait.
Attrahis ecce meos Romano ex æthere natos,
Meque mea, grandi fœnore, prole beas.
Currite Romanas mea pignora, currite ad oras;
Sol calet, ò quanti vos mihi causa boni!

De Collegij Romani Societ. Iesu varijs nationibus, quę Gregorij XIII. Pont. Max. munificentia aluntur.

IIII.

IMpliciti molem variis densantur in vnam
Nexibus, in vasto gurgite pisciculi.
Pistrices morsum meditantes turba repellit,
Quæ malè iuncta perit, quæ benè iuncta fer...
Proh quàm diuerso collectæ bicorbe Phalanges...
Sed proh! quàm firmo fœdere iuncta phala...
Exacuant dentes septem fera monstra trionis,
Non poterunt sociam vincere monstra fide...

De insignibus eiusdem summi Pontificis, pro foribus Collegij Romani.

V.

SEcurum posthac carpe hic sapientia somn...
Nam Draco munitas stat vigil ante fores.

De quodam adolescétulo Italo, qui domo paterna Romam è Piceno fugit, vt in quendam Religiosum ordinem ingrederetur.

Quid eius pater dixerit.

VI.

Sedi-

Sedibus è patriis fugienti, talia fertur
Longæuus nato dicta dedisse parens;
Durum est orbari dilecta prole parentem,
Et puer es; linquis cur mea vita senem?
Haud equidem agnosco nostra quid te arceat vrbe:
Nec scio quæ te sors in noua tecta vocet.
Ingentis solum mea mens est conscia amoris:
Forsitan id nocuit si tibi, nate fuge.

Quid mater.

VII.

Vt natum Latias fugientem vidit in oras,
Est puerum tali voce secuta parens,
Ah mi nate, tibi nunquid nocuere parentes?
Quo fugis? aut certæ quæ tibi causa fugæ?
O nate, ò erepte simul, quæ gaudia restant?
Heu perit ergo meis obruta spes lacrymis!
Testor ego hos colles, vos conscia mœnia testor,
Eripiet celerem mors mihi certa diem.
Lux mea, maiorem matris si poscis amorem,
Ecce patent matris viscera, nate redi.

De ipsius adolescentuli constantia.

VIII.

IBat diuino victor ſuccenſus amore,
Cum fugeret felix patria tecta puer.
Vidiſſes viua radiantia lumina flamma,
Vidiſſes ſuperas ire per ora faces,
Hinc pater aſtra ciet, ruit hinc in funera mater,
Nec reuocare poteſt ille nec illa fugam.
O te ſperamus, iuuenis fortiſsime, qualem
Pugnando, tantum ſi fugiendo potes?

Ad Sixtum V. Pont. Max. de obeliſcis & alijs huiuſmodi antiquis monumentis Romæ ab ipſo rurſus erectis.

IX.

DVm veteris Romæ per te monumenta reſurgunt,
Immortale affert ipſa ruina decus.
Sixte, mori nunquã poterit noua Roma, ſepultis
Cum poſsis vitam reddere marmoribus.

De nouo, & veteri fonte Collegij Romani.

X.

LYmpha vetus iubeo multũ ſaluere recentẽ,
Audiar vt paucis, comprime amica ſonũ.
Muta licet veniam, placido tu murmure ludas:

Ne te

Ne te iacta, oculos dum capis, ora traho.
Inter vtramq; breue est spatiū; qui potat vtrāq;
Illa salit bellè, dicit, at ista sapit.
Lude igitur, salta, tumidoque interstrepe labro,
Quid te laudari, dum bibor ipsa, iuuat?

De quodam adolescentulo grauissima ægritudine à beatissima Virgine liberato.

XI.

DVm subit extremos oppresso corde dolores,
Et refugit mollis tristia fata puer:
Hei mihi ait, morior, pereo. Virgo inclyta. Virgo
Ah, si cura mei te premit, affer opem.
Audijt alma parens, ægroq; adlapsa gemēti est,
Et visa est medicas applicuisse manus.
Surge puer, ride, cessit violentia morbi:
Si grauis ille fuit, par medicina fuit.

De mole funebri Alexandri Farnesij Cardinalis, erecta in templo Societatis Iesu, Romæ ab illo condito.

XII.

AEmula sublimi surgūt quæ pegmata tēplo,
Tristia suprema funera laude colunt.
Ni superimpositus premeret iuga subdita fornix,
Iret in æthereas machina celsa domos.

Non

Non opus extructa fuit hic ad funera mole:
Sacra ædes, Princeps, est tibi pro tumulo.

De lacrymis, & vocibus multorum egenorũ, qui eiuſdem Cardinalis funus proſequebantur.

XIII.

ERrabat cari poſt funera mœſta parentis
Turba inopum, tales fundere viſa ſonos.
Si tibi, Farneſi, nequeo perſoluere grates,
Parce, nihil reſtat quod dare poßit amor.
Vix mihi quæ donem ſuſpiria linquit egeſtas,
Et venit ex oculis vltima gutta meis.
Spirat adhuc modicũ quæ te mox vita ſequetur.
Forſitan hoc gratum funere munus erit.
Si fleuiſſe parum eſt, cœlumq; impleſſe querelis:
Sit ſatis, ò Princeps, te moriente mori.

De eiuſdem Cardinalis inſignibus, ipſius tumulo inciſis.

XIV.

LIlia quæ me mori cernis florere ſepulchro,
Illa tulit domino fertilis vrna ſuo.
Forſitan humorem clauſo de corpore traxit.
A Domino didicit forſitan eſſe ferax.

An non perpetuos, Princeps, florebit in annos,
Si potuit durus lilia ferre lapis?

De lupi maxillis, insignibus Cardinalis Battorij.

Cum factus est Cardinalis à Gregorio XIII.

XV.

ORnaret cum te fulgenti Roma galero,
Lætitiæque datos redderet aura sonos.
Sensit, & ad tantum cupidus discedere plausũ,
His rapidas fregit vocibus Ister aquas:
Sarmatia ò felix? vobis, mea rura gregesque
O quantus Latio pastor ab orbe venit?
Scilicet hoc nostris rebar quondam affore terris,
Cum victi aspicerem feruida signa lupi.

Ad eundem, cum Romam proficisceretur, nondum factus Cardinalis.

XVI.

CVm te Sarmaticis, ò Præsul, Vistula campis
Cedere, & Italicas vidit inire vias,
Risit & ò nostri, dixit, spes inclyta regni,
I felix; maior tu rediturus abis.

De quibusdã Poeseos studiosis, qui de cultro, quo Christus Dominus circumcisus est, æmulo carmine scripserunt, non satis apposite.

XVII.

APtare hic calamos melius potuistis vterque:
Sed culpa est cultri, saxeus ille fuit.
At pugnate tamen: pugna est tutissima: vobis
Vnicus est tantum culter, & ille lapis.

De nobili quodam viro ab hostibus vi veneni perempto.

XVIII.

HAuserat ignarus crudelia pharmaca quidam,
Principis exequitur dum pia iussa sui.
Mox vbi lethiferum lentè per viscera virus
Serpere, & immeritam sensit adesse necem,
Saltem, inquit, potui pro rege subire labores,
Et seruare datam, non sine laude fidem.
Talia si cœlum sitienti pocula dantur,
O malè mixte liquor, sed benè pulsa sitis!

Ad Cardinalem Gabrielem Palæotum, Collegium Romanum inuisentem.
De eius insignibus.

Quàm

XIX.

QVā benè ſublimi tollunt ſe vertice mōtes?
An quod & hæc montis culmine Sixtus habet?
Quàm benè cœruleo vernant tria lilia campo?
An quia Rex eadem lilia Francus habet?
Pontifice ò felix, felix ò rege: beat te
Floribus iſte ſuis, montibus ille ſuis.
Paſtorum hic Princeps, regum flos ille decusque:
Quære aliud maius; ſi potes, orbe decus.

Ad Hieronymum de Ruuere Cardinalem, Collegium Romanum inuiſentem, De eius inſignibus.

XX.

HOc quod in æthereas protendit brachia nubes,
Et decorat gentis ſtemmata clara tuæ,
In ſyluis quondam Robur creſcebat amœnis,
Felix ſorte tua, ſed mage ſorte ſua.
Mox vt in æternos tibi ſe ſubmiſit honores,
Glans ſubito attonitis aurea viſa comis.
O ſi cepiſſes totam cum Robore ſyluam?
Aurea tota ſimul ſylua ſecuta foret.

Ad

Ad Cardinalem Camertem, cum die Epiphaniæ, Collegium Romanum Societatis Iesu inuisit, recenter factus Cardinalis à Sixto V. P. M. & allusio ad Sixti V. insignia.

XXI.

TRes hic solemni Reges celebramus honore,
Optime Præsul ades tu quoque quartus eris.
O quanta in vultu grauitas, & viuida virtus
Purpureæ lucet quàm benè iuncta togæ?
Istène vestro etiam, Reges, è sidere lumen
Traxit? an & traxit sidere Sixte tuo?
Vis stellæ est vtriq; ingens, tamen vtraq; dispar:
Illa procul reges euocat, ista facit.

De duobus Romanis Principibus parente, & filio.

XXII.

ET pater & natus diuerso insignis honore est.
Fulminat ille armis, & micat iste toga,
Certat vterque sua pro laude & vincit vterq;:
Par decus egregio cum patre natus habet.

Roma, precor, ne crede tuum periisse decorem,
Et potes esse armis maxima, & esse toga.

P. Bernardinum Rosignolium Collegij Romani Rectorem precatur, vt se ab amœno agro Tusculano, quò animi relaxandi causa secesserat, in vrbem reuocet.

XXIII.

ABs te, care pater, sanctaq; auulsus ab vrbe
Non grata spatior per loca læta mora.
Hic mihi sæpe canit mendaci gutture cras cras,
Inuisas Coruus dum volat antè domos.
Improbe Corue tace, cras est mihi longior anno,
Et desiderio fallor ab ipse meo.
Blando mulceres si me Philomela susurro,
Ista mihi sedes carior vsque foret.
Tu volucrũ cantu; syluis mihi gratior vrbs est,
Vel redeam iubeas ergo, vel ipse veni.

Ad Cardinalem Palauicinum, de sacris quibusdam reliquijs, id est de dente S. Alexij Confessoris, quem dedit templo Collegij Romani Societatis Iesu.

XXXIV.

DEntis opes nobis quas per te donat Alexis,
Munera sunt, Præsul, digna, vel inuidia.

Pro

Pro pretio quid non illius sponsa dedisset,
In vidua quondam mœsta puella domo?
Vnus hic in casta fulsisset fronte lapillus,
Hæc memorem ornasset gemmula sola manū.
Coniugis inuidia, est pretium leue. frōte manuq;
Nostra erit huic denti sanctior ara locus.

De sacro quodam exiguo osse ab eodem Cardinali eidem templo dato.

XXV.

PIgnoribus paruis facta est vt grandior ara,
Mille domus grates, oscula mille dedit.
Cœlicolæ, facile est vestris ditescere donis,
Quando vel exiguo est osse beata domus.

Ad quendam.

XXVI.

MVsa vale. superat nostros Philodoxus honores.
Lator. erat donis dignior ille tuis.
Nos inter vates (sumus hoc si nomine digni)
Credimur esse aliquid: plus tamen ille potest.
Vince igitur Philodoxe licet. tua gloria semper
Quàm mihi tu gratus, tàm mihi cara fuit.
Et dicet posthac, qui me tibi norit amicum,
Plùs hic amore potest, ille sed ingenio.

Sereniſſimo Parmę, & Placentię Duci Rainutio Farneſio, nouum Gymnaſium Parmenſe à ſe inſtauratum inuiſenti.

XXVII.

HVc ades ô tandem votis optate ſecundis.
Incipe in hac ſtabilem figere ſede pedem.
Te quia delectant enſes, lituique tubæque,
Sunt quoq; in hoc, Princeps, prælia clara loco:
Sunt ſine telo ictus, ſunt hic ſine ſanguine plagæ:
Hic ſonitum raucæ dant ſine voce tubæ.
Captiuus ſine ferro agitur, ſine cæde triumphus,
Mercedisque loco vincere victor habet.
O quē te memorem, Princeps, pacē inter & arma
Qui gerere in dulci prælia pace doces?

Ad laudatores ſuorum carminum reſponſio.

XXVIII.

SI mea pondus habēt, & lumē carmina: lumen
Ex oculis, veſtro pondus ab ore venit.

Ad Illuſtriſſimum Pomponium Taurellū Comitem Montis Clariculi, à quo in villam inuitabatur, reſponſio.

XXIX.

NOn rutili soles, nec Veris grata voluptas,
Nec benè deducti vitrea fontis aqua:
Non Philomela suos auibusquæ narrat amores,
Nec quæ frondiferum ventilat aura nemus,
Non violæ molles, aut suaue rubens Hyacinthus,
Aut rosa, nec ripis Nicia læta suis.
Vrbana me sede trahunt in rura mouentve,
Nec desiderii summa fit ista mei.
Scribere debueras (& epistola pondus haberet)
Hic Taurellus adest, hospes amice veni.
Lympha, Rosæ, Philomela, Nemus, Ver, Nicia,
Titan:
Hæc mihi sunt vno cuncta minora viro.

In Niciæ torrentis ab eodem Comite Pompo-
nio carmine laudati pernitiosas ipsi
Comiti inundationes.

XXX.

PRodiga Musa tace : quis posthac flumina
laudet ?
Intumuit nuper Nicia laude sua:
Et nemora, & segetes, & saxa ingentia voluit,
Et noua per medios æquora duxit agros.
Comprime tā fluctus torrens ingrate tumentes,
Mordaci potius carmine dignus eras.
Si soluenda tibi est me iudice pœna, notentur
Hæc duo marmoreis carmina limitibus,

Quæ

Quam malè grata fuit vati dominoque benigno,
Angusta fugiat tàm breuis vnda via.

Ad eundem Illustrissimũ Comitem Pomponium Taurellum de eius studijs.

XXXI.

CLarũ aliquod tu sẽper opus meditaris amice
Et tibi sunt ingens otia summa labor.
Crediderim ni virgo foret, te Pallade natum,
Aut Iouis è cerebro te quoque progenitum.

Ad Flauij Quærengi à studijs feriantis epistolam, responsio.

XXXII.

IAm Quærẽge vacas. prosint mea vota vocãti:
Anxius ambigua voce tenetur amor.
Furaces noli tua dicere ad otia musas:
Sed patere intactos, dum licet, ire dies.
Odit mens iuuenum sterilem fœcunda quietem,
Sæpè tamen vires conficit ipsa suas.
Ingenio, Flaui, qui rura & tempora fallis,
Ah precor, ingenium tu quoque falle tuum.

Ad Musas, pro Ioanne Francisco de Gaid, sororis suæ filio, adolescentulo.

XXXIII.

Pierides, vestrum si me fecistis alumnum,
Et colui vestros, docta caterua, choros,
Nunc aperite sinum, date plenis vbera riuis,
Vt docilis vestro crescat amore puer.
Paruula nec vobis videatur vilior ætas,
Aetas maiorem paruula poscit opem.
Imo puer vestro si fiet munere vates,
Et vestra, & pueri gloria maior erit.

De quibusdam optimæ indolis adolescentibus, ruri honestè à studiis vacantibus breui tempore.

XXXIIII.

IAm pueri ludunt hilares nemora inter & vndas,
O nimium properæ temporis insidiæ?
Præcipites, si qua est pietas, sol siste quadrigas,
Mense dies vt sit longior, hora die.

Ad Musam rusticam, pro Aristandro, insignis pudicitiæ, modestiæ, ac pietatis viro, rus abeunte animi causa.

XXXV.

SI tibi sum cordi, dextra vultuque benigno,
Excipe Aristandrum rustica Musa meum,
Nonne vides quantos referat virtutis honores,
Virgineo quantus surgat ab ore decor?

Fac illi violæ serpant per tempora molles,
Lambat, & vndantes aura serena comas.
Fac Philomela pias cantu demulceat aures,
Et leuet arentem frigida lympha sitim.
Si tota non est vllus præstantior vrbe,
An tibi rure alius carior esse potest?

De Philesio ad Quintusium.

XXXVI.

QVod tibi multiplici reddet pro munere munus?
Nil tuus ille comes quod dare poßit habet.
An versus, violàsve dabit, pictàsue tabellas?
Sunt, vt ait, meritis ista minora tuis.
Dat multum, multumq; facit, quicũque fatetur
Esse nihil quod dat, quod facit, esse nihil.

Ad quendam, qui antequàm Aristandro carmina mitteret, ab illo insignem piscem dono accepit.

XXXVII.

DVm cuperes lætos hesterna luce per agros
Dicere Aristandro carmina grata tuo,

Protinus ignoto collis de fonte propinqui,
Exilit ante oculos bellua, piſcis erat.
Quis neget attonitas traxiſſe ad carmina rupes
Orphea, & immanes edomuiſſe feras?
Si priùs, & fontem, & piſces, & culmina montis,
Quàm canere incipias care poeta rapis?

De aurea quadam ſacra imaguncula à Flauio Quærengo amico cuidam oblata, & ab illo recuſata.

XXXVIII.

FLauius abſenti pia munera mittit amico,
Aurea ſed quia ſunt, ille recuſat opes.
Auro inciſa placet pietas, ſed diſplicet aurum:
Altera in alterius prœlia ſede mouet.
Effigie pietas, pretium auro pugnat: amicus
Non auri pretium, ſed pietatis amat.
Nil facis, ò Flaui, dono niſi detrahis aurum,
Nilque tu amice, ſacram ni capis effigiem.

De duobus adoleſcentulis fratribus Fabricio Boſſio, & Carolo Boſſio nobilibus Mediolanenſibus, Romæ litterarum ſtudiis operam dantibus, ac diſcipulis ſuis.

XXXIX.

QVid veſtras memorem laudes, par nobile fratrum,

Inclyta Romani gloria Gymnasii?
Ingenio æquales, similes virtutibus ambo,
Iidem vultu, iidem mente, labore pares.
Seu pugnare libet versu seu voce soluta,
In vestras veniunt præmia prima manus.
O flores? Romæ si sic adolescitis, an non
Implenda est vestris fructibus Italia?

Iocus in inconstantes.

XL.

SE famulum Noipus, modò se cupit esse magistrum,
Se modò cantorem, se modò vult logicum.
Viuere vult Romæ, modò Pisis degere mallet,
Mallet at in patria stertere posse domo.
O quot mente vrbes peragrat, quot deuorat artes?
Omnibus esse locis, omnia nosse cupit.
Interea Logicus non est non Musicus ille,
Non famulus, pueros non elementa docet:
Nec Romæ viuit, nec Pisis degere curat,
Et pudet ad patrium scalpere crura focum.
Quid Noipe es vel vbi es? nihil, omnia, nusquã, & vbique.
O ars digna loco, dignus & arte locus?

Flauio Quærengo, à quo laudatus fuerat, reddit mutuas laudes.

XLI.

TV quoq; carminibus Flaui, celebrabere nostris.
Grata silere animo Musa iubente nequit.
Tu superas studio vires, virtutibus annos,
Moribus æquales firmaq; pacta fide.
Te Sophiæ munit ratio Prudentia Iuris
Dirigit, exornat lingua, Camœna beat.
Et matura tamen nondum te roborat ætas,
Nec teneras vestit prima iuuenta genas.
Si tibi sic animus crescet, crescentibus annis,
Semper erit posthac te tua vita minor.
Maior at est Princeps, cui te, vitamque dicasti,
Annis atque animo crescere, amice, potes.
Virtutē huic debes, studium, moresque, fidēque,
Id Sophia, & Musæ, Linguaq;, Lexque iubet.

Marcello Quærengo Flauij Quærengi fratri.

XLII.

GRandior es animo, quā corpore; crescis honore
Plùs quàm fert ætas primula, parue puer.
An mea te taceat laudato fratre, Camœna?
Vt sanguis, sic laus vna duobus erit.
Tu puer, hic iuuenis: naturam vincitis ambo,
Maior & est annis semper vterque suis.
Munera sunt vobis eadem. Ducis alter, & alter,
Tu Mutinæ, hic Parmæ viuit in obsequium.

Obsequium ò felix vestrum virtute paratum?
Esse potest virtus non nisi grata bonis.
Cresce puer cũ fratre: manẽt vos præmia, vt olim
Te frater, sic tu fratre beatus eris.

Ad Hieronymum Bossium nobilem Mediolanensem, à quo laudatus fuerat, responsio.

XLIII.

TE dudum Rhenus, nunc Parma tenetque, fouetque,
Ille flet, ereptum possidet ista decus.
Interea, Bossi, quò te tuus impulit ardor?
Ingenium in nobis, eloquiumque beas.
Falleris. eloquio modicum, mihi crede, valemus,
Ingenioq́; parum possumus, arte nihil.
Tam bene cum laudas igitur nil tale merentem,
Hoc opus ingenij est, eloquijq́; tui.
Sis, precor, ò, Parmæ, tam longo tempore ciuis,
Iampridem Rheni, quam breuis hospes eras.

Flauio Quærengo, de Doctoris insignibus illi datis.

XLIV.

ARtes nutriri vulgo dicuntur honore,
Atque trahi veris laudibus ingenium

Arte

Arte tua nutritur honor, doctißime Flaui,
Ingenio trahitur laus quoque vera tuo.
Tu laudis merces, solidi tu præmia honoris,
Iamdudùm meritis viuit vtrumque tuis.
Quanam laude igitur poteris, vel honore beari,
Cum meritæ sis laus laudis, honoris honor?
Si debes illis, qui te his insignibus ornant,
Plùs tibi laus debet, plus tibi debet honor.

DE HENRICO IIII. Galliæ, & Nauarræ Rege Christianißimo.

XLV.

ROmano visum est nihil vnquam Cæsare maius
Occiduo Titan quà lauit amne caput.
Maius Alexandro Macedum duce nil fuit vnquam,
Eoo quà Sol gurgite tollit equos.
Orbis vterque suo certauit pro duce semper,
Maior an hic illo, maior an ille foret.
Amborum laudes si iam claudantur in vno,
Scilicet vnius gloria maior erit.
Vnus at amborũ laudes HENRICVS adæquat,
Vtroque, ô Princeps, maius in orbe decus.

DE EIVSDEM NVPTIIS cum Serenissima Maria Medicea.

XLVI.

O Rex, pulchra tibi sponsam Florentia mittit?
Inter opes habuit pulchrius illa nihil.
Pulchra etiam poscunt florentem lilia campum,
Qualia nimirum lilia, talis ager.
Cum sit talis ager, cum talia lilia, quale
O tandem, & quantum germen, vtrumque feret?

De nuptiis Serenissimi Rainutij Farnesii Ducis Parmensis, cum Margarita Aldobrandina. allusio ad vtriusque familiæ insignia.

XLVII.

SIderibus flores, & sidera floribus, arcto
Iunguntur sancti fœdere Connubii.
Hoc serere est cœlo flores, & sidera terris:
Fructus erit terris lumen, odorque polo.

R. P. FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E SOCIETATE IESV,

Elegiarum Liber.

ALEXIAS

Seu vxoris S. Alexij Querimoniæ,

In gratiam Romanæ iuuentutis conſcriptæ, & in ſeptem Elegias diſtinctæ.

ELEGIA PRIMA.

Illa ego Romanæ virgo laus magna iuuentæ,
Quæ toties fueram mille negata procis,
En iaceo miſeranda nouo ſine cōiuge coniux,

Penè

Penè relicta prius quam benè iuncta viro.
Succedit tantis etiam noua cura querelis,
 Vulneret heu! teneros quo vagus orbe pedes.
Si mihi nota foret regio, qua liber oberrat,
 Inciperet certus mitior esse dolor.
Illi missa graues narraret epistola curas,
 Audiretque meas forsitan ille preces.
Nectuntur scribendo moræ: prior ipsa volarem,
 Atque meæ fierem nuncia tristitiæ.
Cedere nam didici furtim, te, ò Alexi, magistro,
 Et fugere è patria sola puella domo.
Ipse daret pedibus celeres amor anxius alas,
 Præcipitique irem per loca vasta fuga,
Nullaque virgineos tardare pericula gressus,
 Dicere nec possent, parua puella mane.
Nõ si Colchiaci surgant fera monstra Dracones,
 Inque meos vultus Vrse, Leoque ruas.
Paruulus Isacides dextra lacerauit inermi,
 Vrse tuas fauces, & tua membra Leo.
Strauit & immani surgentem mole gigantem,
 Imbelli hoc potuit funda rotata manu.
Fœmineam armaret diuina potentia dextram,
 Et cœlestis idem curreret Ales iter.
Impauida hostiles perrupit fœmina campos,

Et caput Aſſyrio meſſuit enſe duci.
Et metuēda etiā eſt mea dextera: primaq́ꝫ poſſū
Vincere virgineæ præmia militiæ.
Te, mea vita ſequar, quaſcunqꝫ inuiſeris oras,
Vna feret tellus, vnaque cymba duos.
Seu maris Ionij tumidas ſulcaueris vndas.
Ionij tecum me vehet vnda maris.
Seu propius Chriſtū Solymis meditaberis agris,
Blanditur vitrea quà ſacer amnis aqua,
Prona Palæſtinis Chriſtum venerabor in agris,
Iordaniſque bibam pura fluenta ſacri.
Seu iuga Caucaſei penetrabis inhoſpita montis:
Viuam Caucaſeis hoſpita longa iugis.
Seu Libyæ deſerta petes, Libyæ incola ſiam,
Threſſa ero, ſi ponti littora Threicij.
Pulſa per extremos ſi te ratis egerit Indos,
Protinus immenſum metiar Oceanum.
Meq́ꝫ docebit amor, fuerit ſi fracta carina,
Indociles vndis arte mouere manus.
Tā caſtos heu! ne inuideāt mihi ſydera amores,
Atque auidis raptam me mare condat aquis.
Ipſa ſuas etiam patiuntur ſydera flammas,
Ipſum etiam, credo, nouit amare mare.
Sed neque ventorum rabies, neque pronus Orion,
Nec ſtabilem excutiet mobilis vnda fidem.

Obruat

Obruar at rapidis si fluctibus; obuia Pistrix
In tua me viuam viscera conde precor:
Cōde precor: sed mox, ea me, quibus errat Alexis
In loca, seruatam Piscis amice vome.
Hebræum irato sic quondam è gurgite vatem
Insueto mitis bellua ventre tulit.
Hospitio ille nouo gaudens, illa hospite tanto,
Miratur sortem victor vterque suam.
Tertia lux aderat, cum credita pignora Pistrix,
Scilicet illæsum reddere iussa virum,
Faucibus inuitis in apertas expuit auras.
O statio miseris commoda naufragijs?
Si tamē in me eritis crudeles vos quoque pisces,
Naufraga si duro sum peritura mari:
Me manibus perijsse tuis, amor alme, iuuabit:
Castus honorati funeris auctor eris.
Deq́ meo pontus faciet sibi nomine nomen,
Et felix inter sidera sidus ero.
Nauita prætertiens illa plorabit in vnda,
Firmabitque mea vota marina fide.
Et dicet, perijt quondam hic Romana puella,
Dum toto amissum quæreret orbe virum:
Viuat tantus amor: semper sis, ò bona virgo,
Tam dilecta Deo, quàm bene fida viro.
Iam secura tenes reducem super astra maritū:

Sit tibi terra leuis, si grauis vnda fuit.
Hei mihi quo rapior? quæ fingo somnia? falsò
Me ludit viduus, dum vagor orbe, thorus,
O saltem scirem qua parte requirere possem
Te, mea lux, animi spesque metusque mei.
Et syluæ, & rupes, campiq;, & littora cuncta
Iam sunt facta tua ferrea duritie.
Non est, qui nostras æqua bibat aure querelas,
Dissipat elusos ventus, & vnda sonos.
Sola pia est, mecumq; gemit resonabilis Echo,
Illa tamen gemitu languida facta meo est.
O mea vita redi; nam quæ te causa moratur?
Si qua in te est pietas, ò mea vita redi.
Quod si forte tibi est reditus grauis, ah? precor ad te
Me quacunque voles parte, venire iube.

ELEGIA SECVNDA.

CRudelis regio, quæ te fouet vsq; latentem;
Illa meis facta est terra beata malis.
Ah pereat quisquis, si fas est dicere, primus
Inuiti docuit terga domare salis?
Intactum qui fregit iter, montesque subegit,
Virgineam pedibus qui violauit humum.
Septeni colles, & Tybridis Ostia, tutus
Exigui limes tunc erat imperij.
Tunc erat Vrbs vixisse sibi, paruoque Quiriti

Extremi Aethiopes porta Capena fuit.
Dictator numerabat oues, pressoque Senator
Fessus aratro, humili sub lare iura dabat.
Nunc quoque sic vtinam clausis regionibus, esses
Mecum sub vili pauper Alexi casa?
Cur fugis è patria non vllo pulsus ab hoste?
Si tibi cura mei est, ò fugitiue redi.
Si tibi cura mei nulla est, miserere parentum;
Quem trahis, ipse iubet spiritus esse pium.
Non hæc sperabant meritæ solatia vitæ
Et pater infelix, & miseranda parens.
Immatura vtrique paras heu? funera. iamiam
In tumulum tristi cum patre mater abit.
Prompta tuæ tu solus habes medicamina culpæ;
Funera regressu sunt reuocanda tuo.
Vita veni. quid enim tandem peccauimus omnes?
Totàne Roma potest esse nouerca tibi?
Ast ego quid merui? vel quo rea crimine dicor
Nullum in me crimen, præter amare, vides.
Si tibi virginitas, iuuenis castißime, sancta est:
Virgineo possum viuere nupta thoro.
Viuere si possum cum coniuge virgine virgo,
Cur fugis aspectus dure marite meos?
Este mihi testes Superi, nil firmius opto.
Quàm vita exacta cœlibe posse mori.

Connu-

Connubij non vincla Venus, non fœdera nectit,
Nec facit amplexus, concubitusq́ virum.
Cœlicolum regina potens, & gloria terræ
Ipsa simul coniux, virgo, parensq́ fuit.
Cœcilia antiquæ potuit noua gloria gentis,
O quàm dißimilem ducere virgo virum?
Cõiugis in thalamum prima cum nocte veniret,
Protinus exclamat, Valleriane caue:
Valleriane caue, custos fortißimus adstat,
Qui mihi libati corporis vltor erit.
Est mihi virginitas summo iurata Tonanti;
Peruigil in lectum fert sua vota sopor.
Gorgone tuta, meo caream Alite? telaq́ vibrãs
Fingitur à vobis Pallas: inermis ero?
Crede mihi. Paridis non est hæc fabula vestri,
Cum Menelaao rapta Lacæna thoro est.
Sum tua, tu meus es, Christicole: sim modo virgo
Tu pater, & coniux, & mihi frater eris.
Sic ait. Ille sacro lustratus fonte, meretur
Optato ætherei militis ore frui.
Sãguis vtrumq́ iterũ fœcũda in morte maritat:
Ornat vtrique manum palma, corona caput.
Noster Hymen tali caleat face. tæda iugalis,
Sentiet haud flammas dire Cupido tuas.
Fœmina, virq́ iugo sacri subiguntur amoris,
O quan-

O quanta existit vis in amore pari?
Ast ego te, rerum pulcherrime, semper amaui:
Sic placidi redeant in mea vota dies.
O quoties cum me peteret malè sana procorum
Turba, meus, dixi, solus Alexis erit.
Altera vera fuit, fuit heu! vox altera mendax:
Et solus, sed non diceris esse meus.

ELEGIA TERTIA.

HAEccine cõmunis mihi debita gaudia vitæ?
Hæccine qui toties tu mihi verba dabas?
Ante suas fluuij reuocabunt ad caput vndas,
Et partum falso semine fundet humus,
Quàm te nos, virgo, ludamus amore fugaci,
Aut violem pacti fœdera coniugij.
Ad caput ò fluuij vestros reuocate liquores,
Da partus alio semine terra tuos:
Me facilem his nuper dictis elusit Alexis,
Et tacitam blanda texuit arte fugam.
Nox erat (heu memini natorum prima dolorũ
Semina, & afflictæ vulnera prima domus)
Auricomis pendent varij laquearibus ignes,
Lætaq; festiuis personat aula choris. (bo,
Ergo breue ad thalamũ cũ primũ accessimus am-
Nunc Deus est nobis mente colendus, ais.
Ille nouo iunctas firmabit pignore dextras,
Et te præcipuo, semper amore colã. Pareo

Pareo: dumque preces in longas ducimus horas,
Occupat heu? fallax lumina fessa sopor.
Me miserã: ò nimiùm, nimiũ nox inuida, & ò tu
Somnule delicijs insidiate meis?
Curarum in terris qui diceris esse leuamen,
O mihi quot curas perfide somne paris?
Euigilo, & malè clausa priùs mea lumina iacto:
Exciderat nostris, lux mea, luminibus.
Dirigui, nec erat stupefacto in corpore sanguis,
Factaque sum gelido marmore frigidior,
Aspicio rursus, vacuumq; cubile pererro;
Quocunque aspicerem, nullus Alexis erat.
Tùm mihi virgineis violaui pectora palmis,
Et cœpi indignas vngue notare genas.
Præcipito è thalamis corpus, similisq; furenti,
Crinibus effusis atria mœsta peto.
Accurrunt famuli celeres, trepidæque puellæ,
Et pater exanguis, semianimisq; parens,
Quid memorẽ lacrymas, & fœmineos vlulatus,
Primaq; nocturni tempora supplicij,
Quid iuuat inuisum toties renouare dolorem,
Et mala narratu non medicanda meo?
Noster Auentino clamor tonat vndique colle,
Imbribus intumuit Tybridis vnda meis.
Et mihi tunc omnes fuit impetus ire per vrbes,
Horridaque irati ferre pericla maris.

Nec pudor, aut ætas obſtabat, paruaq; viſa
 Sunt deſiderio terra fretumq; meo.
Sed tua me violẽta domus, genitrixq; paterq;
 Continuitque meam Roma inimica fugam.
Mox tamen vt viſura meos Aurora dolores
 Sidereas mœſto diſpulit axe faces:
Noſtræ ſumma peto celeri pede culmina turris:
 Vrget amor: quid non ſedule cogis amor?
Proſpicio, ſuperant acie mea lumina lynces;
 Nulla tui ante oculos venit imago meos.
Corruo, deficiunt vires: in brachia tollunt
 Me famulæ. inſenſus liquerat oſſa calor.
Omnia votiuis onerantur templa tabellis,
 Pulſaque continuis fletibus ara gemit.
Vndique miſſa cohors oculis vigilantibus exit,
 Et toto coniux quæreris orbe meus.
Quæreris, & toti cum ſis incognitus orbi,
 Hoſpitio terra eſt tota ſuperba tuo.
Ah? precor ignores quæ te videt ora vagantem,
 Iſto, ne mihi te, capta decore neget.
Si reditum ſtatuis quacunque erraueris ora,
 Id ſatis eſt, vt ego, tuque, tuique ſciant.
Sed quauis regione erres, ſi protinus adſis,
 Ignoſco longæ tempora dura moræ.
Idem cauſa mei fies, medicinaque morbi,
 Dulcia ſunt medica vulnera facta manu.
Viuam iterũ, viuam, cum me, mea vita, reuiſes,
 Cũ, mea lux, venies, luce repente fruar.

At moræ, Alexi, morā si nectis, quā mihi semper
Mors incerta tua est, tam mihi certa mea est.

ELEGIA QVARTA.

HEi mihi quā duras patior sine crimine pœnas
Materies miseræ fertilis historiæ?
Impresso nutrix rorantia lumina lino
Siccat, & ò, dicit, pone puella metum.
Ille fidem seruat, tuus est rediturus Alexis,
Non illo Romæ sanctior vllus erat.
Tempora signat amor: reditus mihi longior iste
Iam fit Odyssea, durior Iliade.
Improba nidificans cæcum quem fecit hirūdo,
Dum lassa vrgenti membra sopore leuat,
Sponte licet natum certas misisset in oras,
Et spes de reditu non minuenda foret;
Attamen assiduas agitans cum coniuge curas,
Vix vllam poterat sustinuisse moram.
Mater multa gemens, ah quò te misimus, inquit,
Vnice amor, matris gaudia, vita patris?
Quæ mihi te, & patri succurrere nate coegit
Pauperies, tecum gratior vsque foret.
Et pater, ò miseræ solatia sola senectæ,
Iampridem cæco tu mihi lumen eras.
Te retinet durus si debitor, inde recede:
Tu potior magnis es mihi diuitiis.
Huc propera, ductore tuo cum sospite sospes,
Et canis aduentum nunciet antè tuum.

Sic ait: ex oculis ibant duo flumina cœcis,
Clausus luci oculus, fons fit apertus aquis.
Ast ego quid faciam, qua tu clàm sponse relicta,
Sic fugis? heu quid agis? quòve morare loco?
Quàm vereor ne forte auidis iam cesserit astris.
Hei mihi? tristitiæ summa fit ista meæ.
Et semper facies in nomine pallet Alexis,
Cumque meo assiduus certat amore timor.
Seu rutilat puro Phœbus, seu Cynthia curru,
Tu mihi nocte metus, tu mihi luce dolor.
Nulla mihi requies, neque Sol sine nubibus ibis,
Dum Sol & nostræ causa quietis abes.
Non mihi Erythræi serpunt per colla lapilli,
Gemma nec vlla meis ardet in articulis.
Nec vidui certa nodantur lege capilli,
Nec mihi sub Coa veste superbit humus.
Quid mihi si Crœsi sine te fluit aureus amnis,
Ebriaque in Tyrio murice dormit ouis?
Indica si sine te pretioso terra Adamante
Grandinat in comptas prodiga facta comas?
Quid mihi si grauidis turgent in collibus vuæ,
Totaque defesso sub boue terra gemit?
Si Calabra tonsi flores ape mella ministrant,
Lasciuit Siculo si grege pinguis ager?
Hæc curent, quibus inter opes, & eburnea tecta
Aurea Tantaleo fallitur amne sitis.
Nec sumus ex illis longam quibus inter amicos

Tristi-

Tristitiam frangunt munera Bacche tua.
Odi suffusas radianti lampadas auro;
Aurea sunt oculi lampas Alexi tui.
Non ego delector cithara fidibusq; canoris;
Sola mihi gratum vox tua carmen erit.
Non mihi Panchæo nubes efflantur odores;
Suauis odorata tu mihi messe magis.
Non mihi sidereis gemnascunt floribus arua;
Tu narcissus eris, tu mea sola rosa.
Ductaq; textilibus ramis non vitis obumbrat,
Nec leuat ardores lympha petita meos.
Et sopor omnis abest: si, te fugiente, fefellit,
Non fallet sensus, te redeunte, meos.
In te debuerat potius conuertere vires,
O sopor infelix in mea damna vigil?

ELEGIA QVINTA.

O Mea lux, & vita redi: tibi brachia pando,
Brachia iam nimia penè soluta prece.
Est locus in nostris quà fons pulcherrimus hortis
Surgit, Auentini pars memoranda iugi.
Et meminisse potes, nisi dudum mente recessit
Coniuge cum spreta, tota paterna domus.
Hic nemus vmbrosũ, & variæ longo ordine sedes,
Clausaque diuisis atria porticibus.
Hic celebri pictura nitet spectabilis arte:

Est operi merces magna perennis honor?
Aut se naturam putat ars certamine victam,
Aut natura ipsum se putat artificem.
Hic ego per longos duco suspiria soles,
Dum perimit sensus viua tabella meos.
Depictus parte in laeua mihi scilicet orbis
Panditur, hic tellus stat mihi, & vnda fluit.
Hei mihi? depictos compellor discere mundos,
Atque per illusas currere mente vias.
Quò se cumque ferunt oculi, meus ardor Alexis.
Forsitan hinc, dico, forsitan inde venit.
Quis scit an & stabiles illis in montibus aedes
Fixerit? ò vitae prompta ruina meae?
Haec illi tremulae texunt vmbracula syluae:
Has inter rupes durior ille latet.
Illic horrifico nigrescunt aequora nimbo,
Ah? ne forte mei sit ratis illa viri.
Ast haec quae regio? Syria est: hic forsitan errat,
Eius erat semper multus in ore Syrus.
Hic ego te in somnis hesterna nocte videbam:
O quae sollicitus somnia fingit amor?
Et fuit vrbs (species nisi me nunc fallit) Edessa,
Templaque sublimi conspicienda tholo.
Hic te Virgo parens peregrina in veste latentem
Monstrat, tu contra protinus vrbe fugis.
Dure vir, ah! tandem coelestibus annue mōstris:
Aspicis? à domina proderis ipse tua.
Votorum, ò Virgo, spes non frustranda meorum,

Primaq; virginei gloria connubii,
Si tua diuitibus cumulaui altaria donis,
Cultaque Galbaneo fumat odore domus,
Si tibi gemmifero cinxi diademate frontem,
Et micat ante aram pendula flamma tuam,
Vrge, Diua, virum, dum me patriamq; requirit,
Fac alia nequeat parte quiete frui.
Dũ tenebras quærit, manifesta in luce patescat,
Dumque tacet fiat quælibet ora loquax;
Dũ fugit, immoto stupeat pede, dũ freta sulcat,
Nauis marmoreas hæreat inter aquas.
Occultum increpitet tellus, & pontus Alexim,
Et coniurato murmure dicat, hic est.
O sopor, & picti species ò vana coloris?
Hei mihi quàm variis ludor imaginibus?
Nocte diem verso, certat pictura sopori;
Fingere quòd nequit hæc, improbus ille facit.
Ipsa meas ergo picturis educo curas,
Solamenque bibo materiamque mali.
In tabula specto terrasq;, vrbesq; hominesque,
Astraque, & immensi littora cuncta maris.
Crudeles tabulæ; crudelis tu quoque pictor;
Inter tot mundos vnus Alexis abest.
O mihi si referas quo vir meus orbe moretur,
Orbem habeas pictor, tu mihi redde virum.
At parte ex alia Christi vitamque necemque
Cognato memorat docta colore manus.

Inter

Inter tam varias species miseranda figuras
    Vna meũ ante alias sensum animumq́; rapit:
Amissum in Solymis puerum mœstißima Virgo
    Quærit, & ignotas itque, reditque vias.
O quas illa preces, ò quæ suspiria fundit,
    Dum vocat errantem nocte dieque Deum?
Et stupet, & nescit cur sese subtrahat infans,
    Scit tamen hunc culpa non abiisse sua. (gret?
Heu quid agat? redeatne domũ Solymosne pera-
    Nec Solymi natum, nec domus illa docet.
Virgo est, & mater, certat natura pudori,
    Dum natura iubet, quo vetat ire pudor.
Spes animat sensũ, timor opprimit: inter vtrũq;
    Pignore Diua parens statque caditque suo.
Præbet amor vires dolor eripit, vndiq; pugnam
    Damna ferunt; cunctis fluctuat vna malis.
Arte licet clara reddi non omnia possunt;
    Admotam remoue pictor amice manum.
Flet pictura: tamen vero caret illa dolore,
    Mentitasq́; color labitur in lacrymas.
Sola meis lacrymis Virgo, tua flumina monstro,
    Quam proprie curis pingeris ipsa meis?
Naturam natura æquas, meliusque refertur
    Imbre imber, curis cura, dolore dolor.
Historia hæc mea fit, redeunt iã tempora prisca,
    Nomine mutato picta tabella mea est.
Tunc ò tunc experta meos Regina dolores,
    Cur non in miseræ conscia curris opem?

Cum gemitu gemitũ, cum pœnis confero pœnas,
Atque tuos casus metior ipsa meis.
Si longum visum est, tibi scilicet, attamen illud
(Da veniam dictis) perbreue tempus erat.
Extulit Eoo ter ab æquore, ter quoque lassos
Occiduo Titan gurgite mersit equos:
Attonitos inter Proceres legumq; magistros,
Templum vbi sublimi sidera fronte ferit;
Secura puerum reperis in sede locatum,
Cumque illo, & fido coniuge læta redis.
Ast ego quot Soles numero? si credis amanti,
Quolibet in spatio secula mille traho.
Iam didici stellas, iam Lunæ tempora noui,
Eois iam sum doctior Astrologis.
Surge, age, pacato sydus mihi nascere cœlo,
Aethereasque nouo lumine vince faces:
Quale magos olim Christi ad cunabula reges
Duxit, & optatam constitit ante casam:
Nascere, & ambiguũ radiis mihi percute Alexim
Ibo, nec incertas pes teret vsque vias.

ELEGIA SEXTA.

AH ne forte velis stabulo te cõdere & vmbris
Nescio quo Solyma non procul arce loco?
An reperis Christi præsepibus: ipse solebas
Plurima de puero, deque parente loqui.
Qàm vereor ne sit vates tua mater, Alexi,
Et ne præsaga mente futura canat?
Nam tacito mecum nuper collecta cubili,

Multa mihi afflictæ dum memoraret anus:
Virgo inquit, coniuxq; mei fidißima nati,
Heu? procul à nostra vir tuus vrbe latet.
Non potuit frustra domibus ceßisse paternis:
Qui fugit hinc furtim, non rediturus abit.
Romam namq; sui cupidam si forte rediret,
Se se vel facie proderet ipse sua.
Adde quod occulta si vult in parte latere,
Non celet vrbanos, patria tecta, lares. (tes?
An periere Getæ? prohibet Thrax, aut Garaman-
An desunt latebræ Punica terra tuæ?
Clausane Iordanis sunt ostia? scilicet ille
Romana ignotum quæret in vrbe locum.
Crede mihi Virgo, veniet si noster Alexis,
Huc sua conspicua nomina fronte feret.
Nil desperandum: non hæc sine numine fiunt,
Quàm credis veniet forsitan ille priùs.
O vtinam felix redeat, plausuque Quiritum,
Victo quadriiugis orbe triumphet equis. (scit:
Sic fatur tua mæsta parens, lachrymisq; made-
It comes ex oculis æmula gutta meis.
Ergòne semper eris Romanis exul ab oris,
Et vagus extremis incola littoribus? post hac,
Quis scit an & procul hinc, tuguri sub culmine,
Crudeli iaceas nudus in hospitio?
Ah? ne te pluuiæ, ne te mala frigora lædant,
Ne rigeant duro mollia membra gelu.
Vos cohibete Hyades, Boreæ mansuescite flatus,

Brumaprecor, ſponſum mitius ire meum.
Spargite ſaxa, pias colliſa fronte fauillas,
Ex iſto lapidum vulnere ſurge calor.
Nix auerte alio tacitum, tua pondera, vellus,
Candidus eſt nimium, non eget ille niue.
Parcite flagrantes æſtiuo tempore ſoles.
Intus alit flammas, non eget ille face.
Hei mihi? ne facilis ſitienti lympha negetur.
Ne ſedeat pulchro turpis in ore fames.
A me, ſed fruſtra tibi menſa paratur, Alexi;
Non eſt hinc poſsit qui tibi ferre dapes.
Aliger arreptam ſummo me crine per auras,
Non metuenda mei transfer in antra viri.
Haud ille eſt Daniele minor pietate fideque,
Et meus, ò Habacuc, maior amore tuo eſt.
O peream, ex iſta ſi poſt ego ſede recedam?
Nullæ vrgent meſſes, Ales amice vale.
Quod ſi me noles triſtemque fugabis, Alexi,
Pulſa tuos moriar protinus ante pedes.
Mors erit hæc felix, coniux cariſsime, viua
Quæ nequeo, tecum mortua ſemper ero.
O dulcis tumulus, thalamoque beatior omni,
Si fuero manibus virgo ſepulta tuis.
Et quoties tumulum ſpectabis gemmula pro me
Ex oculis veniet forſitan vna tuis.
At ſi me tecum patieris viuere, ſat mi
In tuguri paleis angulus vnus erit.
(Iam Romana domus, iam culta palatia ſordent.

Tu mea Roma, in te Regia tota mea est.)
Illic nupta viro famulabor, pauper egenti,
Semper in hoc vno peruigil obsequio.

ELEGIA SEPTIMA.

FOrsã ab immani premeris nũc gẽte: tacebis?
Et poteris media viuere barbaria?
At mirum est vlli quod sis incognitus orbi:
Tu cœcis oculos pulcher Alexi, dares. (uetq́.
Quẽ quis amat, facile agnoscit, sequiturque fo-
Te qui, dum cernit, nescit, amore caret.
Cœcus erat, credo, qui cœcum finxit amorem.
Non ego cœca forem, te quia semper amo.
Lumine me non priuat amor, sed priuat amante.
Ah mihi sic oculos in mea damna facit?
Hebræus Phariis quondam rex alter in oris,
Horrea pellendæ pandit amica fami,
Corã adsta, loquitur; præsentẽ agnoscere fratrẽ
Vndeni fratres non potuere suum.
Totne oculos vnus potuit tunc fallere vultus?
Non mirum, extincti crimen amoris erat.
At potuit cur ille suos agnoscere fratres?
Præuia fax oculis ardor amoris erat.
O vtinam coram adstares? licet ipse taceres,
Non fugeres oculos, lux mihi nota, meos.
Ergo aliqua forsan (miserã me) ignotus in vrbe,
Exigis innumeris tempora longa malis.
Ah? quoties hominum laudes te stulta caterua,
Inque tuas aures turpia verba vomet.

Irruet ah? quoties Stygiis armata flagellis,
Subditaque intorto verbere terga teret.
Impia turba tace, quid enim peccauit Alexis!
Parce agitare meum, turba inimica, virum.
Ne meus ex illo decurrat vulnere ſanguis,
Ne violent aures ſordida verba meas.
Imo agite, atque in me rabiē conuertite veſtrā:
Sit mea pœna: meus liber Alexis eat.
Heu? ſolus volet ille pati ſtabilesq; parare
Alta quibus tandem ſcandat ad aſtra gradus.
Qualis in æthereas ſcalis ſublimibus arces
Fuſus humi Iacob copore, mente ſubit;
Immixumque Deum ſcalis ſuſpexit, & agmen
Aligerum alternos ire redire gradus.
Neſcio quid mea mens, coniux, de te augurat, o
Te ſacro ſupplex orbis honore colet. (lim
Templa tibi ſurgent, multisq; vocabere votis:
Iam te prima voco, iam tibi vota fero.
Te per ego has lacrymas, oro, per & integra ſan
Fœdera Connubii, virgineumque thorum, (cti
Per mihi crudeles, quos non violaui, Hymenæos,
Perque tuam in primis caſte marite fidem,
Te, per eos etiam qui te genuere parentes,
Per patria atque domus ſqualida tecta tua,
Hæc ſi non flectunt per ego te Virginis almæ
Viſcera cara precor per genitumque Deum,
Huc ades ò tandem, viduasq; reuertere in ædes,
Aut adhibe vitæ me comitemque viæ.

Quod

Quod facies, faciam, quò perges, ipsa praibo,
 Cum cantante canam, cūque gemēte gemam:
Cumque viro coniux viuam, cū virgine virgo,
 Corporeque in gemino mens reget vna duos.
Sic spero: cernent iterum mea lumina Alexim:
 Si non sperarem, iam mihi clausa forent.
Heu, ne te videam tacita iam morte peremptū,
 Et misero exanimem coniugis in gremio?
Rursum agitor curis, succedunt fluctibus vndæ,
 Turbinibusque nouis orta procella furit.
Secum alium ventus vocat in præcordia ventū,
 Alter & alterius prœlia miscet ope.
O vtinam ne post tua funera viuere possim,
 Tempestas animam sorbeat ista meam.
Sum virgo, genitrixque simul fœcunda dolorū,
 Iamdudum hos plena tu seris ipse manu.
O vtinam totus, ne post tua fata supersim,
 Cum celeri matris funere partus eat. (trinque
Spero igitur, timeoque, animus mihi nutat v-
 Quid sperare magis, quid ve timere queat. (que
Spesq. timorq dolorq. & amor pietasq. pudor-
 Hei mihi quanta vno in pectore bella mouent?
Nec video infelix qua stet victoria parte,
 Viuere qua liceat, qua mihi sorte mori.
Sed modò te viuū inueniā, mihi vincula nectas,
 Deque meo castus corde triumphet amor.
Vince amor, & ne se captus subducat, eundem
 Fac precor ad currum vinctus Alexis eat.

AD SANCTISSIMVM DOMINVM
Clementem VIII. Pontificem Maximum.

MAgne Parens, mea Musa cupit tibi dicere laudes,
Illa sed in laudes deficit vsque tuas.
Forsitan augebunt inuita silentia laudem,
Sæpe venit tacito maius ab ore decus.
Tu sacris totum moderaris legibus orbem,
Redditur exemplo sanctior ille tuo.
Itala Threicius per te pauet arma Tyrannus,
Et capis auxiliis oppida multa tuis. (erret
Bosphorus ah? tandē Tyberim colas; ah? precor
Hellespontiaca naufragus hostis aqua.
Concilias superis Regem, Gallisq; mederis,
Flectitur ille tuum pronus ad imperium.
Læta tuos cernit Ferraria victa triumphos,
Romano, nulla cæde, subacta iugo.
Huc venit Hesperidum regi nuptura potenti
Virgo: tua nupsit facta beata manu.
Huc properant clari proceres, dant oscula plantis
Aemulaque officiis fungitur Italia.
Vix sperata vocas summos in fœdera reges:
Hæc alia fieri non potuere fide.
At redeunt annis bis deni quinque peractis
Expectata sacræ tempora lætitiæ
Tunc est visa tuæ pietatis Roma theatrum;
Dum populos omnes pascis vtroque cibo.
O quoties cecinit (memini atq; his aurib. hausi)

A nuoui-

Attonitus laudes Orbis in Vrbe tuas?
Felici per te nunc Gallia Rege triumphat,
Coniux est factus coniuge, prole pater.
Quid memorē lacrymas, ieiunia, vota, precesq́;
Quasque tuo curas pro grege pastor obis?
Iamdudum afflicti sperant meliora Britanni,
Cœlestem per te Græcia sentit opem.
Quæ regio in terris quæ gens tā barbara, cui nō,
Vera tuis monstres lumina sideribus?
Diuinis fit clara opibus, te Principe, Roma,
Inque redit priscus templa vetusta decor.
Dumque tua semper mensa dignaris egenos,
Regales pauper vincit honore dapes.
Tu vigilans fidei custos, tu denique Pastor
Moribus, & vita sanctus, vt imperio.
O quid ago? vel quo rapior temerarius ausu,
Et rudis immensum per mare nauta feror?
Hoc opus est nostris (ætas mihi crede futura)
Viribus, & studio maius, & ingenio.
Tutior est, meliusque potest reuerentia muta
Dicere de tanto Principe, Musa tace.

AD HENRICVM IIII. GALLIAE
& Nauarræ Regem Christianissimum.

O Rex magnanime ò summorum gloria regū,
Certa salus regni deliciæque tui:
Nostra vtinā digno celebret te carmine Musa!
Nil magis illa cupit, nil minus illa potest.
Tu decus armorum, tibi sunt certamina ludus,

Et labor est requies & vigilare sopor.
Ad tua iussa animos miles parit & satis vna est
Vox ad decretum, nutus ad imperium.
Ipse præis, factisq; iubes: micat, anteuolatque
Et pes decretis, & manus imperio. (suis
Victor ad arma venis: nec pugnas, quin tibi fau
Certior auspiciis antè triumphus eat.
Sic galea est laurus, palma ensis pugna trophæa,
Et certare tibi & vincere, semper idem.
Sed tua cum telo clementia fertur in hostem,
Dumque feris hostem, tu prior ipse doles.
Cogeris ad bellum, nec ab hostis corpore fracti
Absque tuis lacrymis gutta cruoris abit.
Et tibi prorsus idē est vlcisci, & parcere: & host
Dum generosa furit dextera, præbet opem,
Tu velut horrificum ruis in fera prœlia fulmen,
Et victor victo mitior inde redis.
Sic sic te superas, alios quia vincere paruum est
Et nisi sint de te, nulla trophæa putas.
Materies (hoc solum obstat, te deficit omnis;
Te minor es, vires non capis ipse tuas.
Quid memorē, Princeps pacati commoda regni
Quàm benè des populis debita iura tuis?
Bellica laus pacis, pacis laus æmula belli est:
Pugnarent, totus ni tuus esset honor.
Et tuus iste augetur honor, cum pectore grandi
Quidquid agis censes semper id esse parum.
Victa triumphali tibi pax benè parta quadrigis,
Cum

Cum bello inuictum cingit vtrinque latus
Te patrem, ac regem veneratur patria, cum tu
Non tàm rex dici, quàm pater esse velis.
Est tua iuratis maior constantia dictis:
Qui n iurare tibi est non violare fidem.
O legum vindex, victæ ò solatia gentis,
Vis pugnæ, belli gloria pacis amor.
Et miretur adhuc domitam se Gallia? mirum est
Totum orbem ante tuos non cecidisse pedes:

AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM Pomponium Taurellum in suo Clariculo monte otiantem responsio.

REddo tibi caram flagranti sole salutem;
Reddere sic iussit qui magis ardet amor.
Spernit amor brumæq; niues, flammasq; Leonis,
Nec leuis incœpto cessat ab officio.
O liceat molles tecum mihi carpere ventos,
Languidaq; vmbrosis ponere membra iugis.
O liceat longos tecum mihi fallere soles,
Dum rapis arguta saxa ferasque lyra.
Illic vernat vbi tellus syluæque virescunt,
Errat vbi trepida garrula lympha fuga.
Colle vbi fœcundo vitis lasciua maritat
Tàm bene deductis vlmea tecta viis
Iam me nec Tybur moueat, nec Thessala Tempe,
Nec Larissæi pinguia prata soli.
Sit despecta Rhodos, neq; vatũ gloria Olympus

Clariculo post hac sit mihi monte prior.
Hic te Pomponi dum spectant prata, nemusque,
Te veluti numen prata, nemusque colunt.
Hic tua diuinos effundunt otia versus,
Otia vel curis nobiliora tuis.
Grande operi pretiũ est sic degere, linquere turbas,
Et procul illæsos ducere ab vrbe dies.
Non tamen est solus qui secum viuere discit,
Nec trahit in duras tempora longa moras.
Mens hominis si secum habitet, secumq; loquatur,
Sit licet in syluis, illa Senatus erit.
Alta sedet seseque vocat paretque iubetq;
Et regit, & partes temperat illa suas.
Illa suas tutatur opes; nec quærere curat
Quo vento infidi mugiat vnda maris.
Non illam insani tangunt ludibria vulgi,
Nec metuit fraudes aulica turba tuas.
Nec ruit in Venerem, vel pocula miscet amanti,
Nec tecum admotis, Tantale, anhelat aquis.
Vritur at potius flamma meliore, bibitque
Cœlestes pleno gutture delitias.
Te talem, vir magne, beas, animumque serenas,
Dum te Clariculi desinet cura tui.
Quis mihi te reddat, vel me tibi? ludimur ambo,
Me tibi Parma negat, te tua villa mihi.
Expectas hyemem ad reditum? mora lõga futura est
Et desiderio tardior hora meo.
Vt nunc in viduam redeat Pomponius vrbem,
Surge Aquilo, immiti frigore bruma veni.

FINIS.

Laus Deo, Beatissimæque Virgini.

